HOMILIÆ DOMINICALES VENERABILIS FR.

CAESARII HEISTERBACENSIS MONACHI

S. Ordinis Cistertiensium:

QVIBVSCVNQVE CONCIONAtoribus, Religiosis verò inprimis vtiles, ad Sermones Spiritales instituendos.

Pars Secunda:

IN EVANGELIA, POST OCTAVAS EPIPHANIAE AD VSQVE PENTECOSTEN,

Per R. P. F.

IOANNEM ANDREAM COPPENSTEIN Mandalensem, S. Ordinis Prædicatorum Theologum.

Nunc primum ex peruetusto M. S. Cod. ad typos elaborata: additis ad marginem lemmatis, & Citationibus adnotatis.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Petrum Henningium.
ANNO MDCXV.
Permissu Superiorum.



NVNCVPATORIA DEDICATIONIS.

ADMODVM REVERENDO

PATRI IN CHRISTO AC DOMINO:

MATTHIAE NISAEO

Sacri Ordinis Ciſtertienſium ABBATI HIMMENRODENSIS CLAVSTRI

VIGILANTISSIMO ET DIGNISSIMO, Salutem ex IESV, *ex Matre* IESV MARIA *Patrocinium Vouet, defert obſeruantiam ex ſe* F. IOANNES ANDREAS COPPENSTEIN *Mandalenſis, Ordinis Prædicatorum.*



Eceſſitas vt legem non habet; ita nec ſui rationem deſiderat. Quare nec ſapiens quiſquam illius, quod ita neceſſarium eſſe cognoſcit, rationem à quoquam repoſcit. At ſuum cuiq; tribui, & Patri filium deberi cum vtrumque perinde oportere neceſſe ſit; equidem CAESARII HEISTERBACENSIS Homiliarum Partis primæ, nunc primum à me typis editæ, DEDICATIONEM Ipſi Reuerendo Abbati Heiſterbacenſi à me ſic neceſſario deberi iudicabam; vt niſi vellem paternum in ius Naturæ committere, omittere non poſſem.

Iam verò ab Heiſterbaco proxima neceſſitas, parque ratio, PARTIS

SECVNDAE Dedicationem ad CLAVSTRVM vocat Himmenrodense. Hoc namque olim Heisterbacensem genuit domum filiam suam; hæc filius se suum Cæsarium. Vt planè mihi necessitas incumbat; aliquem Filiæ partum, retro Matri quoque suæ acceptum referre. Partus is est Cæsarius: ideoque & nepos Vester est idem. Etenim sic DEVS dedit; sic tulit Sors; sic Virtus Vestra commeruit, *Admodum R.de Abbas*, vt anno superiore & viduatæ Himmenrodensis vxoris Vir fieres & Caput, Paterque prolis benedictæ: simul quidem velut Auus Cæsarij; quantum huiusce Mater sese Filiam esse Vestram libens confitetur. Qui igitur Partem primam Homiliarum Patri debebā; Secundam Auo debere videbar.

AFFERO itaque, ET OFFERO MVNVS; Sed VESTRVM, è Vestro Maiorum inclyto thesauro depromtum. In quo si quid MEVM fuerit; illud erit iure non minore; nec minus; quam quod Pharaonis filia sibi de Moyse vendicabat. Et iustè. Quippe quem deperditioni expositū in scirpea fiscella paruulum, ipsa per aluei crepidinē inambulās, vagientem miserata suscepit; ac matri, quamuis ignotæ sibi, reddidit nutriendum: demum in locum filij adoptauit. *Exodi 2.* Pari quoque diuina prouidentia, mihi ad Rheni ripam, in Vallemolari, subsistenti, allatum mussitari sub axilla, & dilacerationi iam venditum Cæsarium hunc Homiliarium contigit excipere, eripere, perficere; ac luci, reique publicæ Christianæ adaptatum; simul & adoptatum mihi in locum filij quodammodo MEVM efficere. MEVM, inquam non Adoptiuum solum; sed simili pene Cognatione iunctum ac deuinctum; qualem cum Baptizato tum Baptizans, tum Patrinus contrahere consueuerunt.

Quem itaque in Litera scripta vagientem accepi: eum hucusque in sinu meo enutritum, & nunc præli sudore robustiorem, *Admodum Reuerenda Paternitas vestra* accipit, Ducem populi, ex Ægypto morum corruptissimorum educendi, futurum. Nōn iam vagit; sed clamat, & quasi tuba exaltat vocem suam, qui homilizat in Sion. Neque hoc solum: sed miraculorum quoque certus assertor; & testis fidelis exemplorum; & scriba doctus; & exhortator potēs in verbo terret hostem, pusillanimes roborat; excitat peccatores, stimumulat iustos: ac virtutes ipse multas operabitur in plebe, in Religione, in Ecclesia. Quam admirabilis in Dialogis; tam Venerabilis in Homilijs. Qualis in Vita; talis in Litera. Magnus fuit & humilis in occulto Claustri: maior & sublimis erit in publico Ecclesiæ. Sub modio religiosus: at super candelabrum gloriosus. Hic in litera auditu dignus, dignior lectu, prædicatu dignissimus: at isthic in vitæ sanctimoniā obseruandus etiam, ac imitandus. Per ista Ecclesiæ: per hanc cœlo debitus. Sed huic quidem iam diu redditus Beatus; Ecclesiæ autem sero nimis publicatus Homiliarius.

Vt mirari sat nequeam, qui factum tam latuisse diu Virum Scriptorem, ex omnibus (quos ego viderim vnquam, post S. Gregorium Magnum) vnicum, ac in DVOBVS potissimum, prorsus singularem. In ALTERO inquam: Quod non solum Euangeliorum Explanationem suam sic ad Cistertienses suos adaptârit: vt eadem simul tamen & alijs quibuscumque Religiosis, quin & vniuersis Christianis quàm aptissima accidat, vel vnâ subinde vocula duntaxat commutandâ. verum etiam, quod viam quoq; modumq; aperiat Contemplatiuis Religiosis, & iuxta bene moratis Ecclesiastis, perinde moraliter de Euangelijs & meditandi, & prædicandi. In ALTERO autem: quod non vnum. non pauca solum Euangelia ex Allegorijs per viam regiam moralizationis constanter educat explicando; sed vniuersim omnia, vt singula, tenore vno & vbique simili prosequatur edisserendo. Magni illius Ecclesiæ Doctoris Sancti Gregorij quà in Dialogis, quà in Homilijs imitator tam felix; vt nemo quisquam aliùs vnquam, vel vsquam. Vide; An non simplex vt columba; prudens sit, vt serpens? Vir est planè talis Apostolicus; quales suos esse voluit Apostolos Dominus. Adeò fronte prima simplicitas recti apparet quasi lampas contemta legenti; sed imprudenti. At satius expendenti, & totam simul intuenti seriem propius, arridet protinus Candor veræ pietatis; Constantia explanationis; Facilitas & aptitudo doctrinæ moralis; Vtilitas conceptuum & inuentionum, religiosa Simplicitas & sententiosa elocutionis; Soliditas è Sacra Scriptura probationis: Veritasque ipsa verissima. Et ista quidem in Parte prima paulò supra captum simplicium altiora: at in hac, itemque Tertia planiora. Vtrobique tamen appositis à me Marginalibus velut nucem fregi; vt esse nucleum queas.

Quapropter si Admodum R. P. Vra. amet, vti deamat, Cæsarium suum, ex Vestra natum Filia: hunc quoque sub manu renatum mea, & educatum quin amabit, nullus dubitare vel possum, vel debeo. Et quia Bonus idem Dialogista, Vestri Antecessoris, piæ record. Nomini dedicatus, gratus illi accidit, & honorificus: sane isthic Homiliarius, meo quidem iudicio, exemplis par illi, at doctrina etiam melior, *Admodum R. Paternitatis Vræ.* Nomini, Auspicioque dicatus ac consecratus, si non in maius, at æque gratus adueniet, & honorificus eueniet. Cum perennante Cæsarij Nomine Vestrum quoque simul æternabit.

Accipiat igitur paterne ex Meo in Suum, & ex Suo MEVM isthunc CAESARIVM: simul boni consulat vtrumque At consulere Suo, & patrocinari, nil opus: Meo autem opus erit Nam Is sua se iam diu præser bene Antiquitate tuetur: Ego scribente nouitate mea fortè periclitabor. Qua

causa non Ipsi Patronum quærere habeo: sed mihi. Quis autem renouatori Cæsarij fore beneuolentior existimandus est; quam qui Cæsario Autori Ipsi est studiosissimus, Admodum Rdus. D. MATTHIAS NISAEVS ABBAS HIMMENRODENSIS?

Viuat diu, suisque mihique superstes. Ita Viuat, Voueo, valeatque: præsit, prosítque feliciter. Datum Confluentiæ ex Conuentu F F. Prædicatorũ. Anno CIↃ. IↃC. XV.

Admodum Reuerendæ Paternitatis Vestræ

Seruus in Christo

F. Ioannes Andreas Coppenstein Mandalensis,
Ordinis Prædicatorum.



LECTO.

LECTOR BENEVOLE.



DE Infantia Seruatoris ſubtilior eſt Cæſarius, quam vulgarium aptior ingenijs. At hic qualis? Dixit Nuncupator a. Pellege; & intellige. Non verum dilaudo Lectori; ne laudis indigum alienæ extrudere videar, & obtrudere. Non is eſt Cæſarius. Non laudare tamen ſuis cum malo & R.R dis Patribus & Confratribus dedicatũ: quod laus ea ſuſpicione vacat.

Hoc tamen te monitum volo. Si legenti Cæſarius tibi fortè minus ad ſaliuam ſapiat tuam; non culpes ipſum: ſed Noſce teipſum. Agnoſce, & plange, carere te Spiritu bono, quo fuit ipſe plenus. Cum eo legendus eſt, quicum ſcriptus eſt ſpiritu. Ipſe *autem non ſpiritum huius mundi accepit; ſed ſpiritum, qui ex* Deo *eſt: Vt ſciamus quæ à* Deo *donata ſunt nobis: quæ & loquitur, non in doctis humanæ ſapientiæ verbis; ſed in doctrina Spiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparans. Animalis autem homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus* Dei. *Stultitia enim eſt illi, & non poteſt intelligere: quia ſpiritualiter examinatur. Spiritualis autem iudicat omnia: & ipſe à nemine iudicatur.* 1. Cor. 2. v. 12.

Vale: & Viue diu: ſed viue DEO.

PRÆFATIO VENERABILIS Cæſarij Monachi in Homilias Dominicales.

BOtrus Cipri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. *Vox eſt dilectæ ad dilectum: ſponſæ ad ſponſum: Eccleſiæ ad Chriſtum. Qui vocatus ad nuptias botrum ſe ibidem exhibuit: de aqua vinum optimum faciendo: quo conuiuas inebriauit. Vox ipſius eſt:* Comedite amici, & inebriamini Chariſſimi. *Ab illo tempore, teſte Euangelio, cœpit Ieſus prædicare, miraculis clareſcere: & corda audientium parabolarum ſuarum dulcedine inebriare. Botrus Cipri dulciſſimus eſt. Et quid ſuauius Chriſti doctrina? Ipſa enim eſt vinum nouum, vinum conditum, muſtum malogranatorum, cibans ſuperficie litteræ, & inebrians virtute ſpiritualis intelligentiæ. Vtrumque facit botrus: Comeſtus cibat: expreſſus inebriat. Erat autem Dominus botrus in vineis Engaddi, id eſt, in medio diſcipulorum: quibus ipſe dicit:* Vos eſtis qui permanſiſtis *mecum in tentationibus meis. Engaddi, interpretatur tentatio, vel fons hædi. Per miniſterium Apoſtolorum, & baptiſmi, virtutem, gentium fœtorem in agnorum munditiam Chriſtus conuertit. Ipſi enim ſunt vineæ de quibus ſponſa dicit in Canticis canticorum:* Poſue-

ſue-

fuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.

Cum Charitas vestra mihi iniunxisset, Domine, Dominicalia exponere Euangelia; vix decem & octo homilijs expletis, quas Fasciculum *vocauit* moralitatis; *Abbate meo præcipiente, & fratrum importuna petitione vrgente; compulsus sum, vt nostis, opus interrumpere; & Dialogum scribere miraculorum. Quo Dei adiutorio expleto, rursum ad Homilias recurro.*

Et quia Monachis atque Conuersis scribo: eorum Ordini ipsam expositionem adapto. Cui etiam plurima exempla, ex eodem dialogo sumpta inserere studui: verbis aliquando mutatis gratia compendij.

Et quia nonnulli Fratrum causati sunt, præcedentes Homilias nimis esse prolixas, nimisque infirmis intellectibus subtiles: vtrumque cauere curaui, stilo vtens breuiori, atque planiori.

TABVLA HOMILIARVM.

DOMI-



DOMINICA PRIMA
POST OCTAVAS EPIPHANIAE.
Secundum Ioannem Cap. 2.



N illo tempore: Facta sunt Nuptiæ in Cana Galilææ, & erat Mater Iesu ibi. Vocatus est autem Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo I. OMnes vocati sumus ad nuptias: Fratres dilectissimi. Nullus ex nobis est, qui non *reliquerit patrem, matrem domũ, parentes,* & nonnulli vxores, spe copulæ melioris. Multo enim meliores, multoque digniores sunt nuptiæ spirituales, quam carnales.

Sed videte in quo loco nuptiæ istę celebrentur. *In Cana,* inquit, *Galilææ.* Cana interpretatur zelus: Galilæa, rota vel volubilis. Rota ista designat statum vitæ secularis: quæ semper per laborem actionis circuit; & per vitium ambitionis nunquam quiescit: hunc humiliat, per aduersitaté: & hunc exaltat per prosperitatem. Quosdam per corporis valetudinem, pulchritudinem, dignitates, diuitias, & honores sursum leuat: alios per his contraria præcipitat. Vnde Philosophi rotam hanc fortunæ dedicarunt: cum fortuna nihil sit; nec folium de arbore cadat, sine nutu Dei gubernantis vniuersa.

Vita secularis est rota.

Fiunt ergo nuptiæ in Cana Galilæę, hoc est, in amore, & in inquietudine vitæ secularis: cum gratiæ suæ virtute Deus quemlibet seculo sic deditum ad se vocat & trahit, & in suum zelum conuertit. Vnde ei per Psalmistam dicitur: a *Vox tonitrui tui in rota Deus.* Quid aliud est rota, nisi secularis persona per seculares actiones inquieta? Vox tonitrui, terror mortis est, & iudicij. Quando Deus animam siue intus per inspirationem, siue foris per vocem efficaciter concutit; in suos illos amplexus salubriter deuoluit. Annus probationis, tempus est desponsationis. Dies vero professionis, tempus exprimit nuptiàrum. Cuculla Monachi vestis nuptialis est. Habet enim formam crucis: per quam Christo copulata est Ecclesia. In hac veste monachus diuina celebrat & cómunicat, dormit & manducat; moriensque sepelitur. Et meritò.

Inde auocãtur Religiosi.

a Ps. 76 19

Sponsalia & nuptiæ Religiosæ.

Nam cum quidam monachus nuper maxima vrgente necessitate, sicut alibi plenius dicemus, sine cuculla more-

Exemplũ extra habitũ mortui.

moreretur: negatus est ei ingressus paradisi. Qui tandem ad multorum sanctorum petitionem iussus est ad corpus redire; sicque recepta veste ad nuptias intrare. Quod & fecit. Mos siquidem erat, & adhuc est fœminis Iudæorum, in vestibus suis nuptialibus, ad hoc reseruatis, sepeliri.

In consecrationibus vero Sanctimonialium maxime apparent nuptiæ istæ spirituales: vbi ab Episcopo annulum Fidei, & velamen castitatis accipiunt.

B. V. Maria Cistercienſium patrona adeſt ijs

Et erat mater Iesu ibi. Nec immerito. Vniuersa monasteria Ordinis Cistertiensis in eius honore costructa sunt, atque dedicata. Quid ergo mirum si in illorum côuersione, professione & disciplina præsens est suffragio & auxilio: qui se illius speciali mancipauerunt obsequio? Cum ante paucos annos bonæ indolis adolescens apud nos esset in probatione, beata Dei Genitrix, vidente quodam alio nouitio, æquè religioso, qui adhuc superest, per fenestram cellæ respiciens, die clara, sic ait: Vbi est filius meus VVilhelmus. Hoc enim nouitio nomen erat.

Exemplũ in Nouitio.

Adeſt & Ieſus.

Vocatus est autem Iesus, & discipuli eius ad nuptias. Ipse sponsus & ipse paranymphus. Sponsus per copulam amoris: paranymphus in præparatione quotidianæ consolationis. b *Cui & delitiæ sunt esse cum filiis hominum* Dignum est, vt & discipuli eius ad nuptias inuitentur: vt quorum vitæ, nihil in hoc mundo possidendo, esse elegimus imitatores, eosdem apud Iesum habere studeamus intercessores. Orationibus & supplicationibus Litaniarum, ac iugi memoria vocandi sunt.

b *Prou 8. 31.*

Inuocandi ſunt ſancti

Et deficiente vino: dicit Mater Iesu ad eum. Vinum non habent? Licet pro omni ecclesia beata Virgo sollicita sit: specialiter tamen pro eis curam gerere videtur, qui sibi specialius deseruiunt. Hinc est quod quodam tempore in Claraualle etiam præsente Abbate, à quodam perfecto monacho capitulo præsidere visa est. Ipsa, vt ei videbatur, tacente Abbate, fratrib. pro suis excessibus veniâ petentibus, vt surgerent imperauit: satisfactionem indixit: impatiêter respondentibus durum, mansuetis vultum exhibens iucundum.

Exemplũ B. V præſidere Capitulo viſa.

Vinum non habent. Est vinum corporale: & est vinum medicinale: & est vinũ spiritualis lætitiæ. De primo dicit Apostolus: c *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Secundum d Samaritanus sauciati vulneribus infudit. Hæc est pœnitentia. De tertio habemus in Psalmo. e *& vinum cor hominis lætificat*. Hic est amor Dei, & iucunditas vitæ spiritualis. Quibus bibentes adeo inebriantur; vt parentum & vitæ prioris obliuiscâtur. De hoc vino dicit: hoc vinũ suis conuiuis requirit.

Vinum triplex eſt.
c *Eph 5. 18*
d. *Luc 13. 14.*

Reuera fratres, vinum luxuriæ, in quo etiam notatur furor vitæ sæcularis, venenosum est: crescens e in suburbanis Gomorræ: f apostatare faciens etiam sapientes. Vinum pœnitentiæ, nec non & vinum spiritualis lætitiæ virtuosum est, & iocundum: crescens in g vineis Engaddi: h Germinans virgines, Engaddi, interpretatur fons hœdi, gratiam significans lachrymarum: quæ & pec-

Eſt & vinũ luxuriæ
e. *Deut. 32. 32.*
f *Eccl. 19. 2*
g *Gal. 1. 19*
h *Zac. 9. 17*
Vinum pœnitentiæ.

& peccata abluit: & hœdos, id est, peccatores in agnorum munditiam conuertit. Primum vinum propinatur ex i aureo calice Babylonis: nouissimum hauritur de k cella vinaria veri Salomonis.

i Apoc. 14. 4.
k Cant. 2. 4.

Et dicit ei Iesus: Quid mihi & tibi Mulier? Verba hæc non sunt verba renuentis; sicut nec matris verba, verba sunt postulantis. *Non enim fas est*, vt ait l Salomon, qui typum IESV tenet, *aliquid filium negare matri.* Vnde qui desiderium nouerat tam dilectæ Matris, verbis piæ admonitionis non contradixit, sed distulit, dicens:

Matri nil negat filius.
l 3. Reg. 2. 21.

Nondum venit hora mea. Ac si diceret: Sustine Mater. Sine, vt prius digerant vinum quo diu madebant in sæculo. quia m *nemo mittit vinum nouũ in vtres veteres:* Habẽt meam præsentiam per gratiam adiuuantem; laborent, vigilent, ieiunent, diligenter orent; vt vino meo condito digni habeantur. Vnde fratres, valde nobis cauendum est, vt si forte vinum Aegypti, quod Moyses appellat n *fel draconum, & venenum aspidum*, oblatum fuerit per memoriam antiquæ consuetudinis: non illud bibamus per consensum delectationis.

Ebriis à sæculo differtur suauitas cæli.
m Luc. 5. 37. 39.
n Deut. 32. 33.

Certè hoc vinum Mariæ AEgyptiacæ cum esset in eremo per annos decem & septem, in memoriam sæpissimè venit: sed per delectationem bibere recusauit. Interuentu vero Genitricis Dei ab hoc vino se dicit liberatam: & vino lætitiæ potatam.

Exemplũ *Sophronius apud Suriũ to. 2. 9. Apri.*

Dicit mater eius ministris. Quodcunque dixerit vobis facite. Eosdem intelligamus ministros, quos & conuiuas. Monachi spiritualium nuptiarum ministri sunt, in quantũ Christo deseruiunt per timorem: conuiuæ vero, in quantum cum illo & in illo deliciantur per amorem.

Religiosi sunt ministri & conuiuæ.

Erant autem lapideæ hydriæ sex positæ secundum purificationem Iudæorum: capientes singulæ metretas binas vel ternas. hoc est, plus binis, & minus ternis. Sex sunt opera perfectionis, quæ sanctus pater Benedictus in regula sua per scriptum posuit: in quibus penè totius monastici ordinis disciplina consistit. Primum est, nihil in hoc mundo possidere: secundum, certis horis Deum laudare: tertium confessio capituli: quartum grauitas silentij: quintum studium sacræ lectionis: sextum disciplina laboris. Ecce tales sunt hydriæ, quę ad purificationem positæ sunt. Iudæi, interpretãtur confitentes. Consuetudo est venientibus ad Ordinem; vt omnia peccata sua Abbati confiteantur: quibus nihil aliud pro satisfactione iniungit; nisi vt Ordinem obseruent: promittens eis per hoc omnium peccatorum purificationem.

Sex opera Religiosorum.
Confessio ad ingressum Religionis.

De hydriarum vero mensura dicitur: *capiẽtes singulæ metretas binas vel ternas.* Prima metreta primæ hydriæ, id est, voluntariæ paupertatis, est in abrenunciatione proprietatis: secunda in abiectione propriæ voluntatis: tertia consistit in membris. De hac mensura diuersi diuersa sentiunt: alijs asserentibus monachũ dicere debere, caput meum est, lingua mea, manus mea, vel pes meus. Alij contrarium sentiunt: affirmantes,

Religiosa paupertas.

tes, quod monachus dicere debeat, caput nostrum, lingua nostra, & sic de cæteris: sicut dicimus cuculla nostra, vel tunica nostra. Quod vtique sic soluendum arbitror: vt secundum priores, respiciẽdum sit ad membrorum motus, quos vix cohibere possumus; secundum sequentes, ad opera. Possum quidem, & licet, manum, pedemve mouere: sed non licet ad libitum extra terminos concessos diuertere, vel opera non licentiata exercere.

2. Cultus diuinus. Secundæ hydriæ, scilicet diuini officij prima metreta est in horis Canonicis: secunda in Missis: tertia in Orationibus priuatis? Hæc metreta in multis defectum patitur. Omnes quidem compellimur interesse Horis Canonicis, & Missis: sed non priuatis orationibus

3. Confessio capitularis. Prima metreta hydriæ tertiæ, id est, Capituli, consistit in confessione manifesta: secunda in confessione secreta: tertia in proclamationibus. Et hęc sæpè patitur defectum: quia quãdoq; causa timoris vel amoris debitum non exequitur officium.

4. Silentiũ. Prima metreta quartæ hydriæ, videlicet, Silentij, est, tacere à malis timore pœnæ: secunda, tacere à bonis timore culpæ: tertia est in signis. Modicum prodest linguã à verbis inutilibus cohibere; & digitos ad signa superflua laxare. o *Stultus digito loquitur*, vt ait Salomon. o *Prou. 13*

5. Lectio sacra. Prima metreta quintæ hydriæ, id est, sacræ Lectionis cõsistit in simplici historia: secunda in allegoria: tertia in tropologia, id est, moralitate.

6. Labor corporalis. Prima metreta laboris manuum, quem sextam diximus hydriam, labor est communis, scilicet totius Conuentus: secunda labores speciales, vt scriptorum, cellariorum, infirmariorum: tertia pertinet ad illos, qui pro monasterij negotijs diriguntur. Si egrediuntur ex leuitate, non pro fratrum vtilitatibus; labor eorum pro metreta minimè computandus est.

Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Aquæ nomine aliquando intelligitur Charitas, vt ibi, p. *super aquam refectionis educauit me.* Si charitas aqua nõ esset: Apostolus non diceret. q *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Charitas lauat, potat, refrigerat. Si tu, ô monache, nihil in hoc mundo possideas: die noctuque Deum laudes: excessus tuos frequenter confitearis: loquaris rarius: legas frequentius: & in laboribus multis corpus tuum exerceas: charitatem non habeas: hydriæ tuæ vacuæ sunt. Paulus omnium rerum suarum pro Christo erogationem; necnõ & proprij corporis mortificationem sine charitate nihil sibi dicit posse prodesse. Vnde admonet, r *vt omnia in charitate fiant.* Qui vult habere vinum; impleat hydrias suas aqua, id est, charitate. (Istæ sunt implenda charitate. p *Psal. 22. 2* q *Rom. 5. 5* r *1 Cor. 16. 14*)

Et impleuerunt eas vsque ad summũ. Hoc perfectorum est. *Et dicit eis Iesus: Haurite nunc; & ferte architriclino.* Triclinium designat monasterium: propter tres ordines stallorũ, qui sunt in choro: propter tres ordines scamnorum in capitulo: & propter tres ordines mensarum in refectorio. Architriclinus Abbas est, Dominus & pater monasterij, primum locum tenens, præcipuè in his tribus locis; choro videlicet, capitulo, &

refe-

refectorio. Quod si fortè monachus motu vel opere charitatis aliquid consolationis meruerit, quod est aquam in vinum conuerti: primum ex eo propinare debet Abbati, vt ipse discernat vtrum diuinum sit vel phātasmaticum. Dignum est enim, vt qui in audiendis confessionibus gustauit de amaro poculo peccatorum; & ipse postmodum gustet de suauissimo vino cœlestium consolationum. De hoc haustu dicit Isai. s *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.*

Dandaque sunt notitię Abbatis

s Isa. 12 3.

Vt autem gustauit architriclinus aquam vinum factam, & non sciebat vnde esset; ministri autem sciebant, qui hauriebant aquam: vocat sponsum architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit: & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti vinum bonum vsque adhuc. Abbas scire non valet in alijs mutationem aquæ in vinum, id est, charitatis præmiū; nisi quantum ex auditu percipit, vel ex signis exterioribus deprehendit. De quo & Iesum, qui verus sponsus est, glorificare debet.

1. Exemplū facti vini.

Beatæ memoriæ Sophiæ abbatissæ de Terouenne, tenuis cereuisia, quæ modicum ab aqua differt, bis cōuersa est in vinum. Idem ob merita sanctæ Dei genitricis cōtigit etiam ante cōuersionē venerabili monacho Vvaltero de Birbeg. Hic cum amore einsdem virginis nimium ferueret: & in omnibus vigilijs solemnitatum eius in pane & aqua ieiunaret: die quadam vnus ex ministris aquam in vase fictili secretius illi apposuit, propter conuiuas; quæ mox in vinum optimum conuersa est. De quo cum gustasset: iratus seruum vocauit, & arguit. Illo asserente quod aqua esset, secundo ad fontem abijt & hausit; in qua & Deus miraculum iterauit. Tunc adiurauit seruum ne cui diceret, quoad viueret: laudem vitans humanā. Iste est frater Arnoldus, qui cum eodem Vvaltero conuersus est, vir bonus, & sanctus. Qui cum moriturus esset, iam dictum miraculum ad honorem Christi, eiusque Genitricis in confessione sua recitauit.

II.

Omnis, inquit, *homo primum bonum vinum ponit.* Homo aliquando naturam, aliquando vitium designat. Naturam, vt ibi: t *Factus est homo in animam viuentem* Vitium, vt in Psalmo: u *Vos autem sicut homines moriemini.* Qui secundum hominem, id est, secundum vitia carnis viuunt; hi sibi in præsenti vinum bonum ponūt: postea, id est, in futuro quod deterius est, bibent. Et qui modo ebrij sunt in culpa; tunc sobrij erunt in pœna. Reuera fratres, teste Salomone, x *luxuriosa res est vinum; & tumultuosa ebrietas.* Quicumque in his delectatur, non est sapiens. Vnde in Prouerbijs iterum dicitur: y *Ne intuearis vinum, cum flauescit: & cum splenduerit color eius in vitro. Blandè enim ingreditur: sed mordebit vt coluber: & quasi regulus venena diffundet.*

t Gen. 2.

u Psl. 81. 6.

Dehortatio à vino.

x Pro. 21. 1.

y Pro. 27. 31.

Cum quidam Canonicus maioris ecclesiæ in Colonia, in extremis ageret: scyphum vini sibi dari petiuit. Erat enim bibulus valdè. Quem cum ad os poneret sic ait. Bibe misera anima, bibe: quia Sathanas post modicum in inferno potabit te. Qualis sit potus infernalis: subiecto patebit exemplo.

I. Exemplū potatoris desperātis.

In prouincia nostra vir quidam

II.

erat militaris, ita totus deditus vino: vt diuersarum villarum dedicationes quæreret: sperans quod bonum vinum illic inueniret. Erat autem nomen viro Rudingerus. Qui cum moriturus esset: adiurauit cum filia sua dicens: Rogo te Pater, ut infra tricesimum mihi appareas: & de statu tuo me certifices. Cui ille; Si mihi licuerit, petitioni tuæ satisfaciam. Mortuus est homo, & infra statutum tempus filiæ visibiliter apparens, vas modicũ, quod vulgo crusillinum vocatur, in quo & ipse in tabernis bibere solebat, manu gestauit. Cui cum illa diceret, quomodo habes Pater? respondit, malè: quia inmaximis pœnis sum. Et puella: Quid est quod portas in manu? Respondit: Potus meus est, ex igne, pice atq; sulfure confectus. Indesinenter ex hoc vasculo bibo: sed illud euacuare non valeo. Vnde fratres, contristare nos non debet, si nobis modo appositum fuerit vinum quod monasterio fortè crescit deterius: quia Iesus reseruauit nobis vinum nouum, vinum bonum, vsq; in futurum.

Alliud potatoris dãnati.

Hoc fecit initium signorũ Iesus in Cana Galilaæ: & manifestauit gloriam suam. Galilæa interpretatur transmigratio facta. Primus transitus est de vitiis ad virtutes: vnde & Galilæi meritò dicũtur transmigrantes: quasi de vitiis ad virtutes saltum facientes. In hoc transitu initium fit signorum Iesu in peccatore. Secundus transitus est de virtute in virtutem. Tertius transitus est quando jam non peccator, sed iustus de via transit ad patriam; de terra ad cœlum; de corpore ad Deum? In primo transitu vinum bibitur pœnitentiæ & deuotionis: in tertio vinum gloriæ & exaltationis. Vltimus transitus est, quando anima resumpto corpore post iudicium cum Christo *transmigrabit, in montem sicut passer.* z Psa. 10. 1. quando, & ipse Christus sicut promisit, transiẽs ministrabit omnibus suis electis, Vinum eis propinãs nouæ resurrectionis: ita vt in æternum comedant, & bibant super mensam eius a Lu. 22. 30 in regno patris sui. Tunc, secundum Psalmistam, b *inebriabuntur ab vbertate domus eius: quia de torrente voluptatis suæ potabit eos.* b Ps. 35. 9 Tunc plenissime manifestabit illis gloriam suam: *quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hom. s ascendit.* c 1. Co. 2. 9 Ad quam nos perducat ip. Iesus Christus sponsus noster: qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat sine fine. Amen.

Transitus hominis quatuor.

DOMINICA II. POST OCTAVAM EPIPHANIAE.
Secundum Matth. Cap. 8.


N illo tempore: Cum descendisset Iesus de monte: secuta sunt eum turba. Et ecce: leprosus veniens adorauit eum dicens: Domine si vis, potes me mundare. Et reliqua.

HOMILIA PRIMA DE eadem lectione.

MONS altitudine sua significat sublimitatem diuinæ maiestatis: *descensus Iesu,* humilitatem incarnationis: *campestria,* virginis vterum, siue mundum: *leprosus,* genus humanum peccatis originalibus & actualibus fœ-

Sermo. II.

Iesus descẽdit de monte.

datum. IESVS de monte descendit; cum ad susceptionem hominis se inclinauit. Vnde Psalmista. a *Inclinauit cælos, & descendit*. Leprosum tetigit; cum hominis naturam, in protoplastis corruptam, sibi vniuit. In cuius sanguine mundatus est, secundum illud Apocalypsis: b *qui lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo.*

Incarnat°. a Ps. 17. v. 10. b Ap. 1. v. 5.

Iesus etiam in monte fuit; quando cæcos illuminauit, leprosos mundauit, mortuos suscitauit. De monte descendit; cum signa susceptæ infirmitatis ostendit: quando scilicet esuriuit, sitiuit, fleuit, & c ex itinere lassus requieuit.

Infirmitat°. c Ioan. 4.

In monte fuit, quando ab infirmis adorabatur vt Deus; quando à turbis cum reuerentia, sicut magister audiebatur; quando dictum est de illo: d *Hic est vere propheta qui venturus est in mundum*. Descendit ad campestria; quando diuersa non est dedignatus audire opprobria: e filius fabri: f homo vorax & potator vini: amicus g publicanorum, & conuiua peccatorum, h plerumque dæmonio.

d Ioa. 7. v. 49. Crimina tus. e Mat. 13. v. 55. f Matt. 11. v. 9. g Lu. 7. v. 34. h Ioa. 8. v. 28.

In monte etiam fuit, cum i mare calcauit; k cum ventos sedauit; l cum de quinque panibus quinque millia hominum satiauit. De monte descendit, quando pro salute hominum flagellatus est & consputus, irrisus, crucifixus, mortuus & sepultus. Ecce, sic Dominus in monte demõstrauit potentiã suç maiestatis, & in valle infirmitatẽ assumptæ humanitatis.

i Marc. 6. v. 49. k Matt. 8. l Marc. 6. v. 41. Lassus: Serm. II. Iesus descendit de monte.

Non tamen, quod tantum in monte fecerit miracula, & in campestribus perpessus sit opprobria: sed quia per montem figurata sunt illa; & ista per campestria. Hinc est quod in monte Thabor discipulis ostendit gloriam futuræ resurrectionis; descendens, ignominiam prædixit passionis.

Apostoli cum Domino fuerunt in monte: sed cum *descendisset, tunc primum secuta sunt eum turbæ*. Et meritò. Facere miracula paucorum est: habere humilitatem, & perpeti opprobria, potest esse multorum. Illa sunt rariora & sublimiora: sed ista multò solidiora. Ad montem pertinet, quod Dominus ait. m *Omnia quæ ego facio, & vos facietis: & maiora horum facietis*. Ad vallem vero, quod alibi dicit: n *Tradent vos in synagogis, & Conciliis: & odio eritis omnibus propter nomen meum*. Ad vallem nos inuitat, cum dicit: o *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde*. Mõtem repromittit, cum iterum dicit: p *Qui se humiliat exaltabitur*. Magna virtus est humilitas, per quam gradatim, secundum quod beatus Benedictus in regula scribit, scanditur in cœlum.

Miracula sunt Christianorum est pati & humiliari. m Ioa. 14. v. 12. n Matt. 13. 34. o Mat. 11. 29. p Mat. 18. 4.

Et ecce leprosus veniens adorauit eum. Non præmisisset Euãgelista vocem demõstratiuam *ecce*, nisi aliquid magni intellexisset in occursu huius leprosi. Videtur mihi leprosus iste quemlibet in sæculo signare peccatorem; qui lepram habet in capite, per superbiam; in oculis per concupiscentiam: in gula, per crapulam: in genis, per irreuerentiam: in lingua & ore, per loquacitatem: in auribus, per susurriũ: in manibus, per auaritiam: in ventre, per luxuriã: in pedibus, per acediam: & sic de cæteris membris.

Peccator est leprosus.

Qui

Qui omnibus his vitijs subiectus est, totus leprosus est. Talis dum de conuersione sua cogitat: qualiter Deo pro peccatis suis satisfaciat, in mente retractat: Iesu occurrit. Occurrens autem quid dicit?

Domine, si vis: potes me mundare. Quasi dicat. q *Velle adiacet mihi: perficere autem bonum non inuenio.* Sed si vis; potes me mundare. Qui dedisti velle naturæ; poteris mihi dare velle gratiæ. Et contingit frequenter, vt tales veniant ad monasterium causa ædificationis, & orationum; vel vt aliquem ex amicis vel consanguineis visitent. Qui cum viderint ibidem personas habitu & incessu humiles, meritis autem sublimes; ingemiscũt, & dicunt: Non sum dignus inter has turbas sanctas & deuotas sequi te, nec possum: quia leprosus sum: Sed si vis, potes me mundare. Et fit quandoque, vt Deus tum bonitate sua, tum propter illorum merita & orationes, quos visitauit; cor eius visitet, & gratiam conuersionis inspiret.

q Ro. 7. 18.

Religiosorum exemplum parit religiosos.

Et extendens manum suam, tetigit eum dicens: Volo. Mundare. Hæc omnia pertinent ad interiorem iustificationem: sicut in homilia sequẽti plenius dicemus.

Accidit tempore quodam, vt Henricus germanus regis Franciæ, veniret in Claramvallem, locuturus beato Bernardo super quodam sæculari negotio; totum etiam Conuentum visitans, illius se orationibus commendauit. Cui venerabilis Abbas, inter cætera vitæ salutaris monita, respondit: Confido in Domino te non moriturum in eo, in quo nunc es statu: sed velociter experimento probabis, quantum tibi istorum profit oratio, quos expetisti. Quod eodem die probatum est, non sine multorum admiratione; de tanti iuuenis exultantes conuersione. Et, tamquam mortuum cernerent, ita eum sui lugebant, inconsolabiliter eiulantes.

Multa huiusmodi etiam apud nos contigerunt, ita vt aliqui leprosi, id est, manifesti peccatores venirent; & DEI gratia tacti atque compuncti per votum conuersionis sanarentur; & Iesum cum cæteris & inter cæteros sequerentur.

Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris. Ac si dicat: Si post votum reuersus, dixeris amicis vel cognatis tuis, dissuadebunt tibi vel impedient te. hoc sæpe vidimus; vt, dum quidam facto voto irent disponere de rebus suis; ita sunt impediti & irretiti, vt non solum non reuerterentur, sed prorsus auerterentur.

Cognati sæpe peruertunt cõuersos.

Ita nuper apud nos cuidam contigit adolescenti. Qui cum venisset ad domum nostram cum domino suo viro honesto; ita in aspectu Conuentus ædificatus est, & accensus, vt ad illius petitionem ei promitteretur ingressus. Mox tendens ad prouinciam suam, vt se præpararet: ita operante diabolo, per cognatos suos est auersus: vt etiam matrimonio eum ligarent, ne redire posset.

Exemplũ.

Quod autem sequitur; *sed vade, ostende te sacerdoti:* ad confessionem pertinet. Conuersi sacerdos & Confessor, Abbas est. Illi, secundũ consuetudinem ordinis nostri facies cordis ostendenda est: & secundũ illius consilium viuendum. Non ergo absolutus est, veniens ad ordinem, si alteri sacerdoti fuerit confessus; sicut quidam

Prælato confitendũ

dam facere solent: quia post quā habitum quis induerit, Abbati confessio iteranda est.

Abrenunciandum est omnibus.

Et offer sacrificiū quod præcepit Moyses in testimonium illis. Moysen hoc in loco non immerito beatum intelligimus Benedictum; monasticæ institutionis legislatorem. Hic præcipit, vt, antequam monachus fiat nouitius, omnes res suas, si quas habet aut eroget pauperibus: aut facta solenniter donatione conferat monasterio, nihil sibi ex omnibus reseruans: ne maligno detur occasio.

Ante ingressum monasterij fit conuersio.

Cum autem venisset Capharnaum: accessit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine: puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur. Capharnaum, propter egregias quas habet interpretationes, significat monasterium; in quo multiplex est consolatio, donorum cœlestium pinguedo, & morum honestorum pulchritudo. Villa est, in gratiarum vbertate: ciuitas, in cohabitantium charitate. Extra Capharnaū sanatus est leprosus: quia per voluntatem cōuersionis, & propositum satisfactionis mundatur conscientia peccatoris. Vnde psalmista: r *Dixi, confitebor aduersum me iniustitias meas domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.*

r. Psal. 31.

Posteà ad perfectiora tendi tur.

Eundem possumus intelligere Centurionem; quem & leprosum. Leprosus, quando peccator, quando fornicator, quando vitijs varijs subiectus: centurio, quando iustus, quando perfectus, quando virtutum militia decoratus. Centenarius numerus perfectus est, significans in monacho disciplinæ perfectionem. s *Militia est vita hominis super terrā.* Non nisi virtutibus contra vitia, id est,

s Iob. 7.

carnis incentiua, contra diaboli tentamenta, & mundi blandimenta, cooperante Dei gratia, pugnare poterimus. Et quid dicit centurio iste?

Atorandū pro infirma sensualitate, quæ affligit militē Christi.

Domine, puer meus iacet in domo paralyticus & male torquetur. Puer iste pro quo Centurio specialiter petit, sensualitatem designat; quæ suis conseruis inferioribus, id est, sensibus exterioribus vires subministrat. Sensus hi serui boni & fideles sunt, quam diu præcepto rationis obediunt. Puer Centurionis in domo iacet paralyticus, & male torquetur: cum in corpore perfecti, sensus carnis ad illicita mouetur.

Infirmitas huius pueri, non sic propter puritatem, sed propter stultitiam dicti, multum dominum suum grauat: quia stimulus carnis nonnunquā etiam viros perfectissimos plurimum molestat. Quis maior Apostolo? qui de pueri huius infirmitate conqueritur; postulans eum a Iesu sanari. Sed hoc nos cum eodem Apostolo consolari debet: t *quia virtus in infirmitate perficitur.* Qui vult ergo puerum suum sanari, id est, motus in ordinatos restringi; necesse est, vt accedat ad Iesum: qui duobus modis ad nos venit. Quotidie scilicet, cum vult, per occultam inspirationem: aut certis horis per mysticā sui Corporis Consecrationem. Si sacerdos est sacerdotalibus indutus; cum se ante altare curuat & dicit: Confiteor Deo omnia peccata mea: & cætera: quid aliud dicit, nisi Puer meus iacet in domo paralyticus, & male torquetur per quem peccaui nimis cogitatione, locutione, & opere.

Exemplo Pauli t. 2. Cor. 12. 9.

Adeundus est Christus.

Et ait illi Iesus: Ego veniam & curabo

rabo eum. Hoc habet fides nostra quod illuc venturus sit. Et respondens Centurio ait: *Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.* Multum sibi timent viri perfecti, cum illecebra carnis rationem in eis perturbat: maximè quando communicaturi sunt. Hinc est, quod beatus Augustinus ante Eucharistiam dicere consueuit: *Agnosco Domine quod agnouit ille centurio: non sum dignus vt intres sub tectum meum.* Multo magis ego miser non sum dignus ingressionis tuæ sub tectum pectoris mei, quod iacet sordidatum & stupratum & sordibus cunctis fœdatum.

Maximè ante communionē.

Augustin.

Sed dic verbo, & sanabitur puer meus. Prius, obsecro Domine, sana infirmitates corporis & cordis mei; vt sic dignè suscipiam Sacramentum corporis & sanguinis tui.

Sequitur. *Nam & ego homo sum, sub potestate: habens sub me milites: & dico huic vade, & vadit; & alii, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc, & facit.* Comparationem facit à minori. Non est aliquis, quin sit & esse debeat sub potestate; maximè Religiosi. Monachus est sub Priore; Prior sub Abbate: Abbas sub Visitatore patre, ille sub Episcopo, Episcopus sub Archiepiscopo, ille sub Papa, Papa sub potestate Confessoris sui. Et est sensus: Si homo homini obedit propter te; quantò magis tibi obedire debet tua creatura? Cuius fides vel oratio tempore diuini sacrificij talis est: satis credibile est quod Iesus sequentibus se, Angelis scilicet & Sanctis, quos illa hora præsentes esse credimus, non immeritò dicere possit:

Ab hoc nullus est exceptus.

Mireque placet Deo

Amen dico vobis; non inueni tantam fidem in Israel. Cùm quodam tempore Dominus diceret Iudæis: u *Nisi manducaueritis carnem filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobismetipsis:* responderunt: *Durus est hic sermo. Et multi etiam ex discipulis abierunt retrorsum.* Nos firmiter credimus & confitemur. Ergo in nobis maior fides, quàm in illis.

u Ioan. 6.

Dico autem vobis: quia multi venient ab Oriente & Occidente, & recumbent cum Abraham: & Isaac, & Iacob in regno cœlorum: Filii autem regni eiicientur foras in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Regnum cœlorum congregatio perfectorum est. Venientes ab Oriente & Occidente sunt hi, qui peccãdo procul aberant ab eo, *qui salutem operatus est in medio terræ.* Et cõtingit frequenter, vt tales post conuersionem multò meliores fiant eis, qui filij regni semper esse videbantur per innocentiam. Namque quos pacata conscientia non remordet; facilè tepescunt & insolescunt; & Dei dono ingrati nonnunquam apostasiam incurrunt: tenebris se immergentes exterioribus, id est, negotijs sæcularibus. In quibus qui triti non sunt, famem & frigus tolerantes, sæpissime lachrymantur.

Peccatores cõuersi sæpè feruẽtiores sunt aliis.

Cum quodam tempore inter Sanctimoniales loquerer de gloria virginitatis; & hortarer illas ad gratiarum actionem: vna de adultis respõdit: Vt quid Deo referrem gratias de hoc, quod habeo? Et ego: A Deo hunc thesaurum habetis: & nisi ipse illum custodiat, retinere non poteritis. Quod si iusti iustificatis in Ordine fuerint feruentiores: longè illos

Exemplũ.

trans-

transcendunt.

Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Ex fide & virtute sacramenti non solum peccata remittuntur; sed & fomes plurium debilitatur. *Et sanatus est puer eius ex illa hora.* Intelleximus quosdam tam plenè, & tam inopinate à stimulo carnis liberatos; vt se eunuchizatos putarēt. Memini me de hoc exemplum posuisse in Homilia duodecima de Infantia Saluatoris, de Bernardo monacho Clarçuellis. Quia credenti nihil est impossibile: quod fideli centurioni exhibuit corporaliter, pie petentibus exhibebit spiritualiter, Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus: per infinita sęcula sęculorum. Amen.

DE EADEM DOMINIC.

Secundum Matth. Cap. 8.

Sermo III. *De iustificationis ordine deque Confessione.*



Vm descendisset IESVS *de monte: secuta sunt eum turba.* Et reliqua.

HOMILIA MORALIS

Iesus ad peccatorē descendit.

QVatuor hic attendo. Iesum: leprosum: descensum & occursum. Secundum moralem intellectum; Leprosus iste designat animam peccatricem, varijs criminum maculis respersam. IESVS in monte; filius est in Patre. IESVS de monte descendit; cum per gratiam ad nos venit. Nisi prius gratia descenderet; gratiæ peccator occurrere non posset. Hinc est quod Apostolus dicit. a. *Non est volentis, neque currentis: sed miserentis Dei.* Nisi ipse cursum excitet, & currentem permoueat; currens deficiet. Vnde Apostolus ad Galatas scribit: b. *Currebatis bene, quis vos impediuit?* Item in alio loco. *Sic currite, vt comprehendatis.*

Peccator ei occurrere debet. a Ro. 9. 16.

b Gal 5. 7

Reddendo se habilem gratiæ, & petendo.

Est autem differentia inter currentem, & occurrentem. Currit, qui ad locum vel rem aliquam festinat. Occurrit: qui personæ ad se venięti obuiā currit. IESV occurrit: qui ad suscipiendam gratiam se habilem reddit. Vnde dicit auctoritas super Malachiam: præcedit quiddam in peccatoribus, qui licet nondum iustificati sunt, digni tamen iustificationibus inueniuntur, id est, habiles. Cum peccator peccandi voluntate retenta orat, vigilat, ieiunat, operibus misericordiæ insistit, à peccato se retrahens inquantum valet; timore tantum pœnæ, non amore iustitiæ; ad gratiam festinat. Et quia talis occursus non est in charitate, nec mundat; non immeritò leprosus adorat & dicit:

Deo dante voluntatē.

Domine si vis, potes me mundare. Ac si dicat: Nisi velle tuum medicinale, curet velle meū exitiale; inanis est cursus meus & occursus. Dedisti mihi velle naturæ, quo naturaliter appeto bonum; sed bonum c. *perficere non inuenio:* nisi illud erigat velle tuæ misericordiæ. Et contra multi sunt, immo plurimi in sancta Ecclesia, qui quotidie in orationibus dicunt Deo: d *Amplius laua me ab iniquitate mea: & à peccato meo munda me.* quibus si responderet Deus; exaudiam te; mundabo te: non sic orarent. Benè vellent euadere pœnam: sed nollent vitare culpam. Tales, quantum in ipsis est, à gratia, quæ se omnibus

c Ro. 7. 18.

d Psal. 50.

 offert,

offert, elongant: non timentes illud Psalmistæ, *qui se elongant a te peribunt.*

Et hanc mouente ad satisfactionem.

Et extendens manum suam, tetigit eum. Manum Iesus extendit, infundendo: & leprosum tetigit, liberum arbitrium ad satisfactionem mouendo. De vtroque dicit sponsa in Canticis canticorum e. *Dilectus meus misit manum suam ad foramen: & venter meus contremuit ad tactum eius.* Nihil boni sine gratia Dei operatur in peccatore liberum arbitrium. Vnde & Apostolus dicit f. *Non ego;* subaudi solus: *sed gratia Dei mecum.*

e Cāt. 5. 4.

atque is ordo est Iustificationis.

Volo. Mundare Pia responsio, & efficax. Totus hic expressus est ordo iustificationum. Ex infusione gratiæ Dei, & motu liberi arbitrij; quem ipsa gratia excitat in homine, meretur homo contritionem; & per illam peccatorum remissionem. Turbæ illæ deuotæ, quæ secutæ sunt descendentem; dona sunt gratuita: quæ semper comitantur primam gratiam.

Sequitur Confessio soli sacerdoti facienda.

Et ait *Iesus* iam curato: *Vide nemini dixeris: sed vade, ostende te sacerdoti.* His verbis quinta iustificatio, quæ tempore sequitur, expressa est: scilicet Confessio. Notate quod Iesus nō dicit: *vade, ostende te* turbis; vel Leuitis; sed *sacerdoti.* In quo habemus exemplum euidens, quod solis sacerdotibus facienda sit Confessio. Et merito. Ipsis enim solis potestas ligandi atque soluendi à Iesu collata est.

Digressio in abusum Excommunicādi

* Et male. Nisi præter dignitatem offi.

Modo diaconi atque subdiaconi ratione dignitatis suæ, non concessæ auctoritatis, etiam sacerdotes ligant & soluunt * Requisitus de hoc Radulphus Scholasticus Coloniensis vir litteratissimus, respondit: Archidiaconus, si non fuerit sacerdos, animam poterit ligare & soluere,* non animam. De talibus scriptum est g. *Mortificant animas quæ non moriuntur;* indebite vel iniuste illas excommunicando.

cij etiam iurisdictionem acceperint.

* E. bene

g. Ezech. 13. 6.

Quod etiam ad reliquos sacerdotes indiscretos pertinet. Est enim triplex excōmunicatio: à charitate: à sacramētis: à consortio Ecclesię. Quodlibet mortale separat hominē à Deo: criminale, vt adulterium, & homicidium, iudicio sacerdotis, separat ab ingressu Ecclesiæ & sacra Communione: sacrilegium vero à consortio fidelium. Per hoc quod Dominus dicit, *vade, ostende te sacerdoti,* quatuor considero; quæ præcipue obseruanda sunt confiteri volenti. Primum est, vt confessio sit cita: secundum, vt sit nuda: tertium, vt sit integra: quartum vt sit debita. Festinatam vult esse, cum dicit, *vade:* nudam, cum addit, *ostende:* integram, cum subiungit, *te:* debitam, cum concludit; *sacerdoti.* Ergo cito, nude, integraliter, & proprio sacerdoti, vel Pastori, secundum mandatum Domini, facienda est Confessio.

Excōmunicatio triplex.

Confitenti obseruanda quatuor.

Reuera fratres, festinandum est ad Confessionem: quia mora trahit periculum; & sæpe tepescente contritione crescit verecundia, quæ non sinit hominem confiteri. Nuda etiam faciēda est: quia si confitens suum fetorē detexerit; Deus ipse tegit. Integraliter: quia sicut non nouit contritis corde particularem impartiri misericordiam, sed totum simul debitum dimittit: ita diuisam non acceptat Confessionem. Quæ etiam fieri debet debito modo, id est proprio sacerdoti: vel Prælato, si sacerdos est: quia Pastor de omnibus sibi commissis

Confitendū 1. Cito.

2. Nude.

3 Integre.

4 Proprio Sacerdoti

Domino suo redditurus est rationem.

Ne ergo contemnatur cum claui potestatis, clauem debet habere scientiæ: vt sciat discernere inter scabiem & lepram, hoc est, inter veniale, & mortale, inter lepram & lepram, mortale scilicet, & mortale: quia secundum hoc iniungenda est satisfactio. In articulo enim mortis, cuilibet huiusmodi fieri potest confessio: etiam infideli, vt quidam dicunt: nisi forte Sacramentum ille irrideat: & tunc absoluitur cōfitens, vt dicit Augustinus, desiderio sacerdotis. *Ecce exemplum.*

Côfessario necessaria scientia.

Casu excepto mortis

Militis cuiusdā vxorē sacerdos proprius violauit. Dictū est militi. Ille cū vir prudens esset, nec verbis facile crederet, nullam de hoc mentionem faciens vxori, siue sacerdoti: veritatem plenius voluit experiri. Non tamen sine suspicione fuit. Contigit vt in quadam villa, non multum à villa militis remota, quidam obsessus esset; in quo dæmonium tam nequā erat vt coram stantibus omnia peccata improperaret, quæ per confessionem veram non fuissent tecta. Quod cum miles ex multorum didicisset relatione; rogauit sibi suspectum sacerdotem vt ad colloquium quoddam secum ire non recusaret. Et acquieuit sacerdos. Cumque venissent simul in villam, vbi obsessus erat, conscius ipse sibi sacerdos, versa vice suspicionem habere cœpit de milite, nequitiam dæmonis non ignorans. Timens vitæ suæ, si ab illo proderetur, necessitate naturæ simulata, intrauit stabulum ad seruum militis: pedibusque eius prostratus sic ait: Rogo te propter Dominum, vt audias confessionem meam. Quem seruus pauidus leuauit: audiens quæ ab illo dicebantur. Facta vero confessione, cum sibi sacerdos iniungi peteret pœnitentiam; seruus prudenter satis respondit: Quantum, in [illegible], alteri sacerdoti pro tali crimine iniungeretis, hæc sit satisfactio vestra. Sicque exiens, spe confessionis factus securior, cum milite ad ecclesiam venit. In qua dæmoniosum offendentes, requisitus est à milite in hæc verba: Nosti aliquid de me? Cui cum dæmon nescio quid responderet: adiecit: Et quid tibi videtur de domino isto? Ad quod respondit: Nihil de eo scio. Quo dicto; mox Latine subiunxit: In stabulo iustificatus est. Nec aliquis tunc aderat clericorum, qui verbum intelligeret. Mira bonitas Dei. *Non est* permissus diabolus loqui Teutonice verbum hoc, ne miles intelligeret: nec tamē tacere licuit; vt cōfessionis virtutem sacerdoti demonstraret. Qui non immemor diuini beneficij sæculum deseruit; & in quodam cœnobio ordinis nostri religionis habitum suscepit. Hæc mihi relata sunt à quodā veraci & antiquo Abbate Ordinis nostri Cisterciensis.

Exemplū sacerdotis concubinarij.

Confitentis stabulario laico:

Non absolui nisi vocro confessione Sacramētalis

Ideoque nec prodita dæmone.

Post conuersi.

Ex quo colligitur: quod debitam confessionem necessitas excuset. Vbi vero nullus adest, cui peccator confiteatur; solum desiderium & propositum confitēdi Deo sufficere creditur. Vnde propheta.h *Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Dixi, id est, deliberaui. Illa Confessio vera est, & Deo grata; quæ in corde habet dolorem: in ore ruborem: in satisfactione laborem.

VotūConfessionis in casu sufficit.

h. Psal. 31. 5.

Quod autem sequitur. *& offer munus, quod præcepit Moyses in testimoniū illis:* ad satisfactionem pertinet: quæ est

Satisfactione opus.

est sexta iustificatio. Hæc præcipuè in tribus consistit: orationibus videlicet, afflictione carnis, & eleemosynis.

Digressio in abusum munerum excæcantium. Consuetudo in ecclesia est, & multi obseruant; vt facta confessione aliquod munus offerát sacerdoti, quasi in testimonium factæ confessionis. Sed valde cauendum est sacerdotibus, ne peccatoribus propter munus parcant: ne peccata foueant: quia Dominus dicit per Ezechielem:
i. Ezech. 13. 18. i. *Propter pugillum hordei, & propter fragmen panis violabant me ad populum meum: vt interficerent animas, quæ non moriuntur; & viuificarent, quæ*
k. Isa. 5. 23. *non viuunt*. Et in Isaia. k *Væ qui iustificatis impium pro muneribus.*

Exemplū iusti Confessarij. Quidam veniens ad confessionem cuidam sacerdoti discreto, & Deum timenti, confessus est illi quædam peccata criminalia. Quem dum sacerdos admoneret, vt peccata confessa desereret; deserta defleret: & de cætero emendatius viueret, respondit: Non possum peccata hæc dimittere. Sacerdos hoc audito: pœnitentiam ei iniungere recusauit. Oblatus est ei ab illo nummus. Quem quidem sacerdos recepit: sed in recedentis tergum eundem cum clamore proiecit dicens: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Ille vero tam de verbo, quam de facto Confessoris territus, in crastino redijt: reiterauit confessionem: pœnitentiam condignam suscepit, & egit.

Non est imitandum nisi possit saluo Sigillo Sacramentali fieri.

Multi hodie sacerdotes, heu! sunt in ecclesia Dei, qui peccata populi sibi commissi comedunt: muneris gratia illorum excessus dissimulan-
l. 1. Pet. 5. 2. do. Contra quos dicit Apostolus Petrus. l. *Pascite in vobis gregem Domini: prouidentes non coactè, sed spontaneè secundum Deum: non turpis lucri gratia.* Munus dignissimum, quod offerri potest in confessione, cor contritū est. m *Sacrificium Deo, spiritus contribulatus.* m. Psal. 50.

Munus optimū est cor contritum.

Secundum quantitatem huius muneris etiam sacerdos temperare poterit satisfactioné: ita vt, si magnam perspexerit in confitente contritionem, minus iniungat: si paruam, plus.


Quod si intelligatur de eleemosynis, per quæ peccata remittuntur: consilio etiam Confessoris iniuncta pœnitentia redimenda est.

Peroratio. Quod autem sequitur de Centurione, & sanatione pueri eius, moraliter satis in superiori Sermone expositū est, nec est diutius his immorandum: quia ad alia festinamus. Si quis ex vobis fratres charissimi, se leprosum fuisse recognoscit; non ei sufficiat, quod à Iesu mundatus est per contritioné: quod sacerdoti se ostendit per confessioné: quod munus obtulit per satisfactionem: quin & redire studeat ad Iesum per iugem gra- n. Luc. 17. 17.
tiarum actionem. Cum in alio loco n Dominus decem mundasset leprosos, nouem de ingratitudine notati sunt: decimus vero commédatus est: eò quod rediens daret laudem Deo. Demus ergo cum hoc alienigena lau- o. Psal. 102. 3.
dem Deo: qui o *propitiatur omnibus iniquitatibus nostris*; qui sanat omnes infirmitates nostras: vt in futuro renouet, p sicut aquilæ, iuuentutem no- p. Psal. 102. 5.
stram, *Iesus* Christus, Dominus noster: qui viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.
Amen.

DOMI-

DOMINICA III. POST OCTAVAM EPIPHANIAE.

Secundum Matth. Cap. 8.



IN illo tempore: Ascendente Iesu in nauiculam; secuti sunt eum discipuli eius. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo. IV. De nouellis Monasteriis aduersis. Monasterium nauicula est.

SAluator noster aliquando verbis; aliquando nos factis informare dignatur. Nauicula hæc quamlibet domum nouellam Ordinis nostri designare videtur: eò quod ad quandam nauis similitudinem ædificetur. In naui tres sunt partes principales: prora, puppis, carina. Prora, quæ anterior pars nauis est, repræsentat Oratoriũ: puppis, Capitulum: carina, diuersitates officiorum. Prora malum tenet cum antenna: Oratorium vero turrim cum cruce dominica. Puppi adhæret remigiũ, quo regitur nauicula: hæc est Capituli disciplina. Non enim rectè nauis incederet, si puppi remigium deesset; & citius Chori disciplina periret; si non illam Capituli gubernaculum dirigeret.

Per carinam, in qua nauis armamenta, & reliqua, quæ nauigantibus necessaria sunt reseruantur; diuersa monasterij officia designantur: dormitorium videlicet, refectorium, infirmatorum, cellarium, cum reliquis cellis, fratrum vsibus deputatis.

Initia sunt parua.

Et valde signãter monasterium in sua constructione dicitur, non nauis; sed nauicula: quia omnis penè nouæ domus principium humile est, tam in prædijs, quam in ædificijs. De hoc exemplum habemus in Cistertio, vbi caput est Ordinis: & Claraualle, alijsque ditissimis domibus: quæ in multa humilitate atque paupertate fundatæ sunt. Præparatis vero ædificijs quasi constructa nauicula; ascendit in eam Iesus cum discipulis suis. Duodecim siquidem monachi, loco duodecim Apostolorum, cum tertiodecimo, Abbate, qui loco Christi eis præponitur, ad nouam Abbatiam emittuntur. Crux enim, dominicam habens imaginem, à patre Abbate datur ei in manus; quẽ de Oratorio cum eadem cruce exeũtem, duodecim ad hoc ordinati illum sequuntur, quasi Christum Apostoli. Quorum meritum obedientiæ mox per verbum ascensionis exprimitur.

Exemplũ de initio Cisterciensiũ in Claraualle.

Et ecce motus magnus factus est in mari. Mare significat præsens sæculum: fluctus maris, potentes sæculi sunt. Quando religiosorum conuentus primũ mittitur in locũ præparatum, rarò, immo rarissime contingit, quin flante aquilone, id est, diabolo à quo [a] *panditur omne malum*; motus magnus fiat in eadẽ prouincia, multis dicentibus: quia ad hoc monachi isti veniunt, vt nos, filiosque nostros exhæredent. Timent parentes, ne possessiones filijs vel nepotibus dimissæ à monachis comparentur: timent filij ne parentes illis pro remedio animarum suarum legent hæreditates suas, siue pecunias.

Obtrectationes hominum cõtra nouos Religiosos.

[a] Ier. 1. 14.

Cum Conuentus noster vocatus à Domino Philippo Coloniensi Archiepiscopo ascendisset in montem Stromburg, quasi in nauiculam cum Domino; tantus motus excitatus est in prouincia non solum à

militibus & rusticis, sed etiam ab ipso Comite, vt necessitate compulsi fratres eidem permitterét, quod nulla bona ipsius Aduocatiæ attinentia, contra eius voluntatem compararét. Et cum, huiusmodi fluctibus inter se collidentibus, nauicula periculosè quateretur; verbis admodum duris Abbatem suum Dominum Hermannum, qui adhuc superest, sæpius excitantes dixerunt:

Salua nos, perimus. Sine, vt reuertamur: quia in hoc loco minimè subsistere poterimus. Tantæ nos premũt aduersitates; tantæ paupertates: vt fides in nobis nutet.

Constantia Abbatis primi. *Ipse autem dormiebat.* Quis? Iam dictus Abbas: importunas fratrum querimonias, & de reditu suasiones dissimulando. Et sicut ipse mihi retulit; cum iam de perseuerantia desperassent; & quotidie illum de reditu molestarent; ipse cum quadã auctoritate surgens; pusillanimitatem eorum compescuit dicens: Quid timidi estis, modicæ fidei? Cessate, cessate: quia nullus vestrum redibit. Confidite, quia Dominus orationibus vestris excitatus, citius quã putatis, imperabit ventis & mari: & fiet tranquillitas magna. Quod post annos paucos impletum est, nõ sine admiratione multorum.

Aliud de interitu aduersanium cœnobio. Simile exemplum habemus in Conuentu, qui à nobis missus est in locum sanctæ Mariæ. Qui cum post mortẽ fundatorũ ab hæredibus, personis magnis atq; potentibus, flante diabolo, terribiliter nimis cõcuteretur per rapinas, minas, incendia: dominus illorũ orationibus excitatus, tam terribiliter surrexit ad vindictam; vt intra breue tempus illorum motus compesceret. Nam quidam illorum de suis castris eiecti sunt: alius miserabiliter satis lancea percussus est; alius cum ad damna domus armatus properaret; in via suffocatus crepuit medius. Vnde quidam nobilis & ipse heres ad monasterium veniens, iuri suo abrenunciauit, dicens, Video, quod Dominus, & beata eius Genitrix imperent pro vobis: non vos amplius inquietabo. *De his in dialogo nostro distinctionem septima plenius tractatum est.* Mira hominum quorumdam vesania; inde dolere vnde gaudendum esset. Vt enim taceam de multitudine Religiosorũ; sæpe Deus propter vnum hominẽ toti parcit prouinciæ: sicut plurimis probatur exemplis. Si b. decem iusti reperti fuissent in Sodomis: parcitum fuisset multitudini.

Nota tempus Homiliarũ post Dialogorũ libros scriptarum.

b. *Gen.* 18. 32.

Nauis vt fluctus transeat, aliquando velo, aliquando remis vtitur. Per velificationem exprimitur sublimitas Ordinis, siue contemplationis: per remigationem vero, labor actionis. Remi sunt fratres actiui: remigantes contemplatiui. Remi, qui fluctibus marinis immittuntur, officiales sunt monasterij: qui ob fratrum necessitates frequentius ad negotia secularia dirigũtur. Qui tamẽ minus illic proficerent; si eorum, qui intus sunt, illos suffragia non traherẽt. Sæpè fit, vt propter orationem alicuius interim orantis ante aliquod altare fratris, plus promoueatur negotium monasterij apud seculares, quã industria illius, qui illud tractare suscepit.

Vela sunt Fratres orantes, Remi sunt Conuersi laborantes

Sicut in remigatione, ipsi remi partim sunt in mari, partim in naui: ita & illi esse debent. Licet enim corpore

Cottarij vt rogandi

pore versentur in sæculo; mente tamē & desiderio manere debent in monasterio. Certis temporibus certisque necessitatibus fratribus sunt emittēdi: & iterum certo tempore retrahendi.

Extrà monasterium laxior vita licita est. Notate etiam, quod remus in ea parte vbi aquis immittitur, diffunditur per latitudinem, & ex ea parte, vbi seruatur, strictior est. Sic fratres in via directi, quamdiu inter sæculares sunt, corporalibus commodis, in alimentis, scilicet, & lectisterniis, sibi aliquid amplius poterunt indulgere: & postquam reuersi fuerint ad monasterium, iterum studeant se stringere: & manibus, id est, operibus fratrum se conformare.

Indiscreti cum sæcularibus agentes. Adhuc aliud notatu dignum occurrit in remo. Si fuerit fissus, & distortus; ita aquas ferit, vt etiam eos, qui in nauicula sunt madefaciat. Sic fit de nunciis incompositis & indiscretis, cum emittuntur ad sæculares. Nonnunquam tam duris verbis & contentiosis illos feriunt, vt eorum iram, inuidiam, & malitiam super totam inducant congregationem: & quos prius habebant propitios, deinceps sentiant duros.

Epilogus. Maneamus ergo fratres cum Iesu in nauicula Ordinis nostri, qui quamdiu nobiscum fuerit per gratiam, nulla nos temerget tempestas. quia c *secundum nomen eius, ita est & opus eius.* c. Ec. 2. & 46. Cui cum Patre & Spiritu sancto honor sit & imperium per infinita sęcula sęculorum Amen.

DOMINICA EADEM

Secundum Matth. Cap. 8.

Ascendente Iesu in nauiculā, secuti sunt eum discipuli eius. Et reliqua.

HOMILIA ALTERA, moralis

SI considerare voluerimus, fratres, secundum moralem intellectum, quæ sit ista nauicula: quis ingressus Iesus in nauiculam: quis motus maris; & somnus Saluatoris: quomodo excitatus surgat, & discipulorum metum pellat: qualiter etiam ad eius imperium venti & mare sedentur, hominesque virtutem imperantis mirentur: non erit ipsa sancti Euangelij lectio nobis infructuosa: quia quæ tunc Saluator corporaliter egit in eadem nauicula, quotidie agitare non cessat in mente humana.

Nauis, vt prædictum est, tres habet partes principales: proram, puppim, carinam. In anima tres sunt vires siue potentiæ: scilicet rationalitas, irascibilitas, concupiscibilitas. Anima est nauis. Puppis ex qua nauis per remigium gubernatur, metaphorice, hoc est, per quandam similitudinem, in anima designat rationalitatem; qua bonum à malo discernitur. Puppis est ratio. Prora, quæ fluctus sulcat, & naui viam pręparat, irascibilitatem exprimit: quę & vitia contra se intumescentia compescit; & virtutibus itinera facit. Irascibilitas est prora. Carina quę per latitudinem diffunditur, & in qua necessaria reponuntur; Concupiscibilitas est, quę satiari non potest. Concupiscibilitas est Carina. Reliqua vero, quæ ad nauis con-

stru-

structionem siue compaginationem pertinent, vt sunt tabulæ, transtra, & claui; naturalia significant. Ea vero, quæ ad nauis profectum adiciuntur, malus videlicet, velum, & remi, & nunc tolluntur nunc introferuntur: dona sunt gratuita. Nauis animę velificat per facilitatē cogitationis: & remigat per laborem actionis.

In eam gratia ascendit proficiendo. *Iesus* vero in nauiculam ascendit: cum menti humanæ per amorem se infundit. Et pulchre dicitur non intrare, sed ascendere: quia mox vt in animam per gratiam venit, quasdam virtutum ascensiones in illa disponit. a Amos 9. 6. Vnde in Amos. a. *Qui posuit in cælo ascensionem suam.* Cœlum est cor humanum, stellarum virtutibus illuminatum. Sæpe gratia in scripturis nostrum profectum sibi ascribit.

Sequentibus virtutibus alijs. Ascendente Iesu in nauiculā discipuli sequuntur: quia gratia sine cæteris virtutibus non infunditur.

Et ecce motus magnus factus est in mari. Mira res, quod ad ingressum Saluatoris mare turbatur. Mare hoc quantum ad historiā, mare creditur fuisse Tyberiadis: cuius aquæ dulces sunt. Mox surgunt motus tentationum. Significat autē delectationem carnis, nec non & dulcedinem vitæ secularis: in quibus, quamdiu nauis animæ stat per consensum, & consuetudinem; nullis motibus turbatur; nullis tentationibus molestatur: sed *Iesu* ingresso per gratiā & cum donis gratiæ, mox vt transfretare cœperit de vitijs ad virtutes, de vita sæculari ad vitam spiritualem: fremunt venti & fluctus excitantur turbulenti. Statimque æquor transit in fretum: & dulcedo in amaritudinem.

Dulces & amari. Tentatio carnis dulcis est, & amara. dulcis, cum ei consentitur; amara, cum eidem cōtradicitur. Dulcis sensualitati: amara rationi. Ventis impellentibus aquas, in mari oritur tempestas. Venti sunt maligni spiritus: de quibus Dominus alibi dicit b. b Ma. 7. 27 *venerunt flumina, flauerunt venti.* In aere isto caliginoso dæmones volitant, & suis flatibus Deo seruientes plurimum perturbant. Flatu dæmonum. Excitant carnis illecebras, mundi offerunt oblectamenta: & cum eis resistitur, acrius excitatas accendunt & impellunt. Plus enim diabolus tentat à se recedentes: & acrius insequitur fugientes. Vnde super locū Moysi: c *ex quo locutus sum Pharaoni, afflixisti populum tuum:* c. Exod 5. 32. dicit Gregorius: *Cum vox Domini cor humanum illustrat, à diabolo contra eum succrescunt tentamenta. vt plus tentationibus se vrgeri sentiat: quam cum lucis internæ radios nesciebat.* Vnde prima mansio filiorum Israel, exeuntium de AEgypto fuit in Ramnasse: d quod interpretatur commotio tineæ. d Exo. 12. 37. Quantum tentent maligni spiritus nouiter exeuntes de Aegypto vitæ sæcularis: quidam nouitiorum plurimis didicerunt experimentis.

Exemplū. nouitij fortiter resistentis tentationi. Cum aliquis venisset ad nos adolescens, & paucis inter nos diebus quiete satis conuersaretur: propter litteras cuiusdam feminæ, cui in sæculo familiaris exstiterat, flante diabolo, e *cuius anhelitus etiam prunas ardere facit:* e. Iob. 41. 12. tantus motus factus est in corde eius per libidinosas delectationes, vt singulis pene horis mergi timens, clamaret cum Psalmista f *Saluum me fac Deus: quoniā intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Veni in altitudinem maris & tempestas demersit me.* f. Psal. 68. 2. Cuius nauicula intantum periclitabatur,

batur, vt aliquando corpore in cella probationis prostrato pedes super limen poneret, atque clamaret: Trahite dæmones, trahite: non hinc egrediar, nisi violenter extractus. *Iesus autē dormiebat.* Reuera ipsi nouitio Dominus dormire videbatur; cui in tētatione laboranti succurrere distulerat: cum tamē quotidie tam ipsius, quam aliorum fratrum, qui ei conpatiebantur, orationibus excitaretur Cumque penè anno integro tentatio eius duraret: tunc primum surgens *Iesus* tam potenter, & tam celeriter tentationes illius compescuit: vt omnes miraremur. Et est impletum in eo quod legitur in Psalmo g. *& statuit procellam eius in auram: & siluerunt fluctus eius.*

g Psal. 106. 29.

Iesus in tētationibus nostris quiescit At in peccatis laborat.

Reuera fratres, *Iesus* dormit, cum varijs nos tribulationibus concuti permittit. Et quia super ceruical legitur dormiuisse; nos etiam ad litteram illius gratia & exemplo solis ceruicalibus vtimur in lectisternijs nostris. Dormitio quies corporis est. Mira res. Qui per Prophetam h. in iniquitatibus nostris se laborare dicit: in tentationibus nostris suauius quiescit. Hinc est quod per Apostolum Iacobum nobis dicitur: *Omne gaudium existimate, fratres mei cum in tentationes varias incideritis scientes quod probatio fidei vestra patientiam operatur: patientia autem perfectum opus habet.* Ac si dicat: Christus dormit: excitandus est.

h. Malach 2. 17.

i Iac. 1. 3.

Et accesserunt discipuli & suscitauerunt eum dicentes: Domine salua nos: perimus. Quando tempestas tentationum valida est; manibus discipulorum, id est, operibus virtutum *Iesus* pulsari debet. Opera virtutum sunt sacræ vigiliæ, orationes peculiares, lacrymæ, & his similia: quibus facile Iesus dormiens excitatur.

Cum quidam Conuersus grauissime tentaretur: stans in oratione cum lacrimis sic orauit. Vere Domine *Iesu*, nisi me liberaueris ab hac tentatione; ego conquerar Matri tuæ. Qui mox excitatus, ac si querimoniam expectare non auderet; surgens imperauit mari & ventis: & fugata tentatione, facta est in eo tranquillitas magna.

Exemplū recti & simplicis viri.

Rides Critice? Quia nescis ea quæ sunt Spiritus.

Et dixit illis Iesus. Quid timidi estis modicæ fidei? k. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quia in Petro fides titubauit; l. mergi cœpit. Sed quia m. *aquæ multæ non possunt extinguere charitatē.* & hoc quadam *Iesus* præsens est per gratiam conseruantem, discipuli, id est, gratuita in naui animæ periclitari possunt; mergi non possunt.

k. Cā. 5. 2. Tentatur iustus non vincitur. l. Matt. 14. 3. m. Cant. 8. 7.

Tunc surgens Iesus imperauit mari & ventis. *Iesus*, qui in nobis est per gratiam; etiam in nobis est per potentiam. Per hanc, quando vult, & quomodo vult surgit, motus illecebrosos tam cordis quam corporis restringendo: & eorum incentores dæmones cohibendo: quod est imperare mari & ventis: & fit tranquillitas magna; ita vt homines etiam, id est, naturalia quæ in anima sunt, mirari non sufficiant. Et quia mare & venti obediunt ei, ab illius gratia peccando non recedamus: & deducet nos per mare huius voluptuosæ tempestatis ad portum æternæ tranquillitatis: vbi cum illo sine fine cœlestibus fruemur delitijs. Amen.

Gratia Iesv.

DOMINICA IV. POST OCTAVAM EPIPHAN.

Secundum Matt. Ca.13.



N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis parabolam hanc. Simile est regnum cœlorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo VI. De Abbat. officio. De zizaniosis fratribus. deq; visitatione.

DOminus noster Iesus Christus, qui est Rex regum & Dominus dominantium, habet in hoc mundo regnum generale: habet & regnum speciale: habet & regnũ singulare. Regnum eius generale, vniuersa est ecclesia: regnum eius speciale, quilibet Religiosorum conuẽtus: regnum eius singulare, quælibet anima electa. De primo dicit Apostolus. a *Cum tradiderit regnum Deo & Patri.* Item in oratione Dominica. b *Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum: adueniat regnum tuum,* id est, militans ecclesia ad triũphantem. De secundo regno suo iterum dicit: c *Sunt quidam ex hic stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum* Dei, id est, ecclesias fidelium multiplicatas: vt Petrus in Capadocia, Andreas in Achaia, & sic de cæteris. De tertio etiam dicit: *Regnum cœlorum intra vos est,* id est, Fides, per quam singuli ex vobis illud promerentur.

Regnum Christi triplex. 1. Ecclesiæ a 1. Cor. 15. 24. b Matt. 6. 2. Religionis. c Lu. 9. 27. 3. Animæ.

Nunc fratres, videamus qualiter hæc parabola religioni nostræ conueniat. Si enim regnum Dei sumus; & ager illius esse debemus: quia illud isti comparatur. Homo seminans, Abbatem videtur exprimere, qui Christi vices agere creditur in monasterio. Qui homo, id est, humanus esse debet, vt sciat secundum regulã infirmarum curam suscepisse animarum; non super sanas tyrannidem. *Cum vltra homines,* vt dicit Boetius, *quẽque promouere sola probitas possit: necesse est, vt quos ab humana conditione deicit; infra hominis meritum detrudat improbitas.* Ergò qui ferales mores habet, hic homo dicendus nõ est. Qui vero humilis est, affabilis, & misericors est; hic homo est. Vnde petens quis ab altero aliquid, subiũxit: *rogaui te, quia homo es.*

Abbas sit cõpatiens infirmitatibus.

Boetius li. de contẽtu mundi.

Ager hominis, corpus est Congregationis; quam Abbas varijs disciplinis exercere debet. Nam sicut in in vno agro plures sunt iornales dispares valoris: sic in vna congregatione variæ personæ sunt inæqualium meritorũ. Omnes quidem æqualiter semen recipiunt; sed non æqualem fructum reddunt. Igitur Abbas in agro sibi commisso seminare debet tam verbo, quam exemplo.

Æqualiter omnes debet exercere.

Quod seminare prædicare sit, testis est Apostolus qui dicit. d *Si seminauimus vobis spiritualia, magnum est si metamus vestra carnalia.* Semen bonum verbum vtile est ad audiendum. Semen bonum exemplum est ædificatorium. Si Prælatus benè docet, & malè viuit; seminat quidem in agro suo triticum; sed zizanijs admixtum. Similiter si benè viuat, & malè doceat. De tali semine raro surgit purus fructus; quia quantum prodest verbo, tantum nocet exemplo; & è conuerso.

d 1. Cor. 9. 11.

Et exẽplo docere.

Notate quod sator non vnum granum

Sæpius, & de plurib.

num, sed plura simul in terra projicere consueuit. Sic & Prælatus facere debet Si doctrina eius fuerit in verbis, instruere debet discipulos non de vno, sed de multis fidei articulis: qualiter videlicet Christus patri sit consubstantialis: conceptus de spiritu sancto: natus ex virgine, passus & sepultus: sicq; de cæteris quæ in Symbolo continentur. Singuli articuli quædam grana fidei sunt. Semina etiam sanctarum virtutũ, quæ ad mores pertinent, magis exemplo, quam verbo in discipulorum mentibus spargere debet, & oculis exhibendo se humilem, sobrium, castum, misericordem, patientem. Vnde oportet illum doctum esse lege diuina: vt sciat, & habeat vnde proferat hæc semina. Omnia enim quæ discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda. e *Ne aliis prædicans ipse reprobus efficiatur.* Verba sunt, vt nostis, B. Benedicti.

e 1. Cor. 9. 27.

Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Dormitio hominum, torpor & negligentia Prælatorum est. Habet sub se, & à se Abbas constitutos, qui agri custodiæ, id est, fratrum disciplinæ intendant. Priorem scilicet, Subpriorem, Confessores, curatores, & senipectas, id est, fratres seniores: quibus in Capitulo licet inordinata proponere, & fratrum excessus cæteris seuerius proclamare. Qui homines, id est, pij & humani esse debent; vt virtutem, & seueritatem iustitiæ, opus in eis temperet misericordiæ. His per negligentiam dormiẽtibus venit inimicus eius, Abbatis scilicet, qui de agro sibi commisso in die iudicij

Sit peruigil, ne mala surrepant.

rationem redditurus est, & superseminat zizania, id est, scandala, & consuetudines prauas: quibus virtutum semina deturpet. Antonomasticè inimicus homo diabolus dicitur: eò quod omne studium illius sit humanæ saluti inimicari. Vel homo dicitur per contrarium; quia inhumanus & crudelis: vel quia hominem frequenter se simulat, vt efficacius decipiat. Vnde Propheta orat dicens. f *Exurge Domine, non confortetur homo.* Qui nocte venit, id est, occultè, & fraudulenter: vt sub specie pietatis seminare possit lolium dissolutionis. Qui etiam occultè abit: quia in quantũ valet, initiũ & finem suæ fraudis sub pallio virtutis tegit. Vnde Abbas tales sibi ordinet adiutores, in quibus securè onera sua partiatur. In quibus non consideret affectum carnalem, sanguinis nobilitatẽ, seu dignitates, quibus cæteris ante cõuersionem præeminebant: sed animi virtutem.

Quia circuit dæmon.

f Psa. 9. 20

Vnde habeat officiales.

Cum autem creuisset herba, & fecisset fructum: tunc apparuerunt & zizania. In profectu virtutum magis apparent germina vitiorum. De semine crescit herba, cum per bonam vitã, siue doctrinam Abbatis viget disciplina. Herba virorem habet. Vnde Apostolus scribit ad Titum, dicens: g *Te ipsum præbe exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate.* Herba fructum facit; cum per multiplicia virtutum opera religionis amor in discipulorũ cordibus se diffundit; & ad zelum cõsimilẽ alios accendit.

Vigeat disciplina.

g Tit. 2. 7.

Amore virtutum.

Accedentes autem serui patrisfamilias dixerunt ei: Domine: nonne bonum semen seminauimus in agro tuo? vnde

ergo habet zizania? Quem superius hominem, modo Patremfamilias appellat. Abba interpretatur Pater. Abbas, inquit sanctus Benedictus, qui monasterio præesse dignus est, Dominus, & Abbas vocetur. Cuius familia, congregatio est. Serui eius hoc in loco designant eos, qui in ordine feruentiores sunt: qui vix aliquas exordinationes dissimulare, vel possunt, vel volunt. Et quid dicunt?

Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo? Nonne vita tua, & doctrina tua totius nobis fuere perfectionis incrementa? Vnde ergo habet zizania? Videmus aliquos inter nos negligentes, torpentes, insolentes, inquietos, dissolutos. Rari sunt in oratione, in lectione atque labore manuum: & non solum sibimetipsis inutiles sunt; sed & alios extollunt. Sicut zizania tritico: sic & illi cæteris sunt impedimento. Minuitur per eos disciplina chori, & Capituli; silentij grauitas, atque fraterna charitas. Quod autem huiusmodi vitia à diabolo seminentur, Dominus ostendit, cum respondendo subiungit. *Inimicus homo hoc fecit.* Vitia enim suadet, & immittit, & vt ad virtutum perniciem proficiant; irrigare non desinit.

Zizaniosi Fratres qui.

Et vnde.

Serui autem dixerunt ei: Vis eamus, & colligamus ea? Quasi dicant: Quæ tibi a nobis prodita sunt in secreto: vis vt eadem proclamemus in aperto? Ad quid? Vel vt dignè corrigantur; vel si incorrigibiles sunt, de medio nostri tollantur.

Et ait: Non. Cum sanctus Benedictus dicat Abbati, vt non dissimulet peccata delinquentium: sed mox vt cœperint oriri, radicitus, ea ne præualeāt, amputet: quid est, quod hic Dominus vetat colligi zizania, id est, vitia succrescentia? Hoc fieri arbitror, propter indiscretum feruorem & suspiciosos: qui statim propter suspectam culpam eliminandam a monasterio iudicant personam. Huic concordat alia auctoritas prædicti Patris Benedicti: vbi præcipit fratri contumaci atq; vitioso exhiberi fomenta, & vnguenta adhortationum: medicamina diuinarum scripturarum: vstionem excommunicationis: plagas virgarum: postremo omnium orationem; & tunc demum vti ferro abscissionis, secundum illud Apostoli: h *auferte malum ex vobis.*

Quatenus tractādi: & tolerandi.

h 1. Cor. 5. 13.

Frequenter contingit vt pœna prauorum etiam bonos & innocentes inuoluat. Quod ostenditur cum protinus subiungit: *Ne fortè eradicetis cum eis simul & triticum.* Vt ait Hieronymus: zizania, quod nos lolium dicimus, quam diu in herba est, simillimum est tritico: in hoc exprimens vitium suspicionis; quod multos errare facit.

Ne iusti simul luant.

Non est diu quod monachus quidam inuidiæ stimulis agitatus ac superatus quēdam ex fratribus suis adolescentem accusauit apud Abbatem suum, & fratres; imponens ei crimina pessima. Cui cum minus Abbas crederet; sciens lolium simile esse tritico: ille ad maiorem vindictam quasi ad messem, vsque ad Visitatoris præsentiam accusationem suam reseruauit. Quid plura? Tantum apud illum inuidi machinatio profecit; vt ipse Visitator, sicut mihi retulit Abbas,

Exemplū accusantis insontē ex inuidia.

Præualētia

bat, qui interfuit visitationi, durè satis innocenti iuueni vitia relata in Capitulo coram omnibus obijceret: & neganti & Deum innocentiæ suæ testem inuocanti non crederet, sed habitu truncato carceri manciparet.

At diuini tus punitu. Post cuius discessum Deus iudex iustus inuidum infirmitate peremptoria flagellauit. Qui timens mori, cófessus est, iuuenem ex inuidia se accusasse. Quod cum ex consilio Confessoris senioribus propalasset: statim pro Visitatore missum est. Qui

Insonte restituio. territus ad monasterium rediit: per seipsum carcerem intrauit, ad pedes monachi se prostrauit: & vt sibi ignosceret, quod ignoranter in eum deliquerat, supplicans, etiam reluctantem cum gloria eduxit.

Non ergo immerito sequitur: *sed finite crescere vsque ad messem*. triti-

1 Apo. 22. 11. cum scilicet & zizania. vt 1 *qui iustus est, iustificetur adbuc: & qui in sordibus est sordescat adbuc*. Tempus messis plena & perfecta cognitio operum est: per quæ remota suspicione virtuosi à vitiosis discernuntur. Vel tempus messis tempus est Visitationis: in quo plenius ipsa vitia proclamantur, examinãtur, & corriguntur.

Quod autem sequitur, *& in tempore messis dicam messoribus, &c.* ad hoc

Visitatio ni aliqua reseruat Abbas. spectat: quod Abbas ea, quæ corrigere non valet, vel propter periculũ suspicionis dissimulat; Visitatori, eiusque collegis corrigenda reseruat.

Modus Visitandi. Perlecta verò forma Visitationis, pater domus monet, & præcipit; vt quę proponenda sunt, proponant: & quæ proclamanda, proclament publice vel priuatim. Tunc Visitator si fuerit æmulator Ordinis; & non personarum acceptor, consilio suorum primo colligit zizania, id est, vitia, vel ipsas personas vitiosas: alligans eas fasciculo ad comburendum, est, puniendum. Ignis in Scripturis pro qualibet dura ac vehementi pœna poni solet. Auctoritas Visitatoris stringit vt fascia: vrit, vt ignis. Triticum autem in horrea congregat: quia prauorum pœna, vel eiectio, bonorum in vinculo pacis & concordiæ efficacior est collectio.

Horrea Christi, sunt æterna tabernacula, in quibus omnes electi congregabuntur, sicut triticum: reprobis missis in ignem æternum: vbi perpetuò constringentur & ardebunt cum diabolo zizaniorum satore, & angelis eius. Vnde fratres, sic viuere studeamus; vt cum Christus cum ventilabro suo aream suam ventilare venerit; nulla in nobis zizania reperiat, quæ nobis horrea cœlestia præcludant. Quod nobis eiusdem Saluatoris nostri gratia concedat: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA EADEM POST OCTAV. EPIPHAN.

Secundum Matthæum.

Cap. 13.



Imile est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. Et reliqua.

HO-

HOMILIA MORALIS
De eadem lectione.

Sermo VII.
De gratia & impedimētis eius

Regnum cœlorum anima sancta atque electa est: stellis virtutum ornata: in qua Christus in præsenti regnat per gratiam; & in futuro regnabit per gloriam. De quo regno ipse dicit: a *Regnum meum non est de hoc mundo*. Anima quamdiu terrenis intenta est, & de illis cogitat; Christi regnum vix esse potest. Quæ autem mente in cœlestibus versatur, & delectatur in illis; hanc Christus inhabitat, & regnat in ea. Talis anima similis est homini seminanti bonum semen in agro suo.

Anima est regnum cœlorum.
a Ioan. 18. 36.

Religiosus quisque regnum cœlorum est; propter splendorem virtutū: ager, propter vbertatem bonorum operum. Huius agri abundantiam Iacob patriarcha sentiens ait: b *Ecce, odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Dominus*.

Itemque religiosus.
b Gen. 27. 27

Sator huius agri Christus est, Deus & homo.

Semen bonum, gratia eius est. *Quid*, inquit, *bonum eius, & quid pulchrum eius: nisi frumentum electorum?* Verba sunt Zachariæ Prophetæ.

c Zach. 9. 17.
Gratia semen.

Semen, de quo hic agitur, grana sunt triticea: sicut ex fine huius lectionis colligitur. Triticum reliquas species annonæ præcellit candore, sapore, conuenientia: in his tribus gratiam Christi exprimens, quæ magni candoris est in infusione, per quam mentem illuminat: optimi saporis, in exercitatione, qua cœlestis desiderij semper appetitum prouocat: & bene conueniens; quia sanitatem cōfert æternam. Gratia Christi frumētum est in via: adeps frumenti in prima. Frumētum in merito: adeps frumenti in præmio.

Cuius tres qualitates.

Seminat ergo Christus semen bonum in agro suo: cum gratiam sancti Spiritus inspirat cordi humano. Non tamen vnum granū spargit, sed multa simul: quia cum Charitas infunditur, innumerabiles secum inducit virtutes. Sicut Sator semen suum iaciendo manum aperit: ita & Deus. Vnde in Psalmo. d *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*.

Eā comitātur virtutes plures.
d Ps. 144. 16.

Cum autem dormirent homines: venit inimicus eius, & superseminauit zizaniam in medio tritici, & abiit. Ad custodiā agri cordis humani summus paterfamilias quatuor ordinauit virtutes cardinales: iustitiā scilicet, prudentiam, fortitudinem, temperantiam. Quæ bene hominibus nominantur: eò quod omnis vita humana in eis, quasi in quibusdam cardinibus, versetur.

Cardinales quatuor sunt custodes triū in homine

Tria sunt in homine, quibus maximè adhibenda est custodia: cor, lingua, manus: Cordi, propter malas & inutiles cogitationes: linguæ, propter verba noxia, & otiosa: manibus, propter opera mala atque peruersa. Aditum cordis obseruare debet iustitia: ostium oris, prudentia: instrumētum operationis, fortitudo, & temperantia. Iustitiæ opus est reddere vnicuiq; quod suum est: prudentiæ, mala futura præcauere: fortitudinis, perferre molestias: temperātiæ, refrenare illecebras.

Quælibet harum virtutum dormire dicitur: cum minus feruenter proprium officium exequitur. Quod vbi perspexerit diabolus, totius gratiæ inimicus, nocte, id est, latenter veni-

Eæ subinde dormitāt.

veniens seminat per immissiones malas zizania, scilicet vitiorum incentiua, in medio tritici, id est, virtutum. Dormitante iustitia, seminat in corde turpes cogitationes: dormitante prudentia, seminat in ore sæculares & inutiles sermones; dormitante fortitudine, seminat in opere acediam: dormitante temperantia, seminat in carne luxuriam. Quis nostrum est, qui non aliquando huiusmodi semina in se sentiat?

Quatuor Impedimenta gratiæ.

Quatuor sunt quæ iacta semina impediunt ne possint proficere: aues, illa comedendo; vermes, consumendo: pedes hominum, siue animalium, conculcando: sues, suffodiendo. Iagam primam & tertiã Dominus in alia parabola commemorat: vbi dicit semen partim pedibus conculcatum, partim comestum à volucribus cœli.

1 Cogitationes malæ: quæ abigendæ per iustitiã. e.Gene.15.11. f.Esai 54.10. Exemplũ.

Aues cogitationes malę sunt & instabiles. Quas obseruare debet Iustitia, & cum Abraham abigere e funda diuinæ cominationis. Hæ cum se ingerent importunius agro cordis, vt grana tollant virtutum; clamet iustitia f. *Recedite, recedite: quia in cogitationibus erit interrogatio: & iudicabit corda & renes Deus.* Vnde quidam iustorum cum positus fuisset ad custodiam dactylorum, quotidie clamabat: Recedite aues de arbore: & malæ cogitationes de corde.

2 Detractiones. Eas præcaueat prudentia. Exemplũ compescẽtis Detra-

Vermes subterranei, verba sunt detractionis, & susurrij: quas prudentia præcauere debet & in corde conterere: vt vbi oriuntur, illic & moriantur: quia mors & vita in manibus linguę. Cum nuper apud quendã scholasticum Parisijs, nescio quis, alteri detraheret; ille detrahenti respondit: Nosti enim quod diligam hominem illum. Tu vero vis occidere amicum meum etiam in domo mea: linguam detrahentem gladio comparans. Reuera fratres, g. *susurrones*, & *detractores odibiles Deo* h. *Nam aues cœli*, vt ait Salomon, *portant vocem detrahentium: & qui habet pennas annunciat sententiam*. Si enim, teste Domino, *de omni verbo otioso homo redditurus est rationem in die iudicii*: quid fiet de verbo malo & detractorio?

ctorem. g.Rom.1.29. h.Eccl.10.20. i.Matt.12.36.

3 Molestię corporales & Spirituales. His resistit Fortitudo.

Calcantium pedes sunt molestiæ corporales, siue spirituales: quibus fortitudo animi per patientiam resistere debet, ne virtutum incrementa pereant. Fortitudinis vox est. k. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.* Item. l *Viriliter agite, & confortetur cor vestrum*: & multa in hunc modum.

k.Rom.8.18.

4. Voluptates carnis. Has pellat Tẽperantia m Prou.29.3. n. Eccl.18.31. o.Ose.9.15.

Sues designant immundas carnis delectationes: quas temperantia pellere debet baculo duræ castigationis. quia, vt dicit Salomon in Prouerbijs, m *qui nutrit scortum*, id est, luxuriam per consensum scilicet: *perdit animam suam* id est, diuitias virtutum. Vnde & Ecclesiasticus dicit: *Post concupiscentias eius; faciet te in gaudium inimicis tuis. Omnes enim malorum nequitia*, vt ait Ose. *sunt in Galgal*, id est, in voluptatibus: *ibi exosos habui eos.* Sequitur:

Crescentibus virtutibus vitia plus noscuntur.

Cum autem creuisset herba & fecisset fructum: tunc apparuerunt & zizania. Virtus, semen est in habitu; herba, in motu: fructus, in opere. Crescere, proficere est. Sed quid est quod tritico crescente atque fructificante zizania apparent? Facilis hic patet

 solutio.

solutio. Quanto quis in virtutibus atque virtutum operibus proficit; tanto melius atque plenius propria vitia recognoscit.

At Timore & Amore tolluntur. Serui Patrisfamilias, qui zizania tollere mittuntur, timor sunt & amor: qui inter cæteras animi affectiones præcipui sunt. Nam ad vitandam culpam, siue ad gloriam adipiscendam plus gratiæ deseruire videntur. Nullum peccatum est quod non vitetur, vel timore pœnæ, vel amore iustitiæ.

Salua discretione. *Vis eamus & colligamus ea? Et respondit: Non* Quasi dicat: Indiscreta vitiorum castigatio nonnunquam virtutibus fit in ruinam.

Et ideo sinite vtraque crescere, vsque ad messem: quia *virtus in infirmitate perficitur*. 2. Cor. 12. 9. Hoc dictum est Paulo, cum eradicare vellet stimulum carnis; quē ad custodiam acceperat virtutis. Fomes vitiorum est stimulus ad virtutes. At similitudine fallunt. Zizania & triticum quamdiu in herba sunt, simillima sunt: in hoc exprimentes motus ad inuicem vitiorum atque virtutum: quibus sæpè decipimur. Vitia hic accipimus fomitem, vnde vitia ipsa pullulant: qui vsque ad messem. id est, vsque ad mortē in nobis non eradicabitur. Sæpè enim similitudo nos decipit; adeo vt zelum iustitiæ putemus esse crudelitatem: & virtutem sollicitudinis, vitium inquietudinis. Et fit nonnunquam, vt, dum tollere nitimur quod vitiosum indicabatur, ipsa virtus eradicetur. Verbi gratia. Dum nimis cauetur ira, nonnunquam negligitur disciplina: & dum plus quam oportet pacem nostram quærimus; dissolutionis vitium incurrimus. Sicque de cæteris. In tēpore autē messis, id est, quando vitia ipsa maturescunt in opere; tunc sine periculo tolluntur.

Quod dicit paterfamilias: *sinite vtrumque crescere*: quantum ad vitia non est præceptum, sed permissio. Sunt occasio meriti maioris. Quantumlibet enim vitiorum incitamenta, vt sunt motus superbiæ, iræ, inuidiæ, acediæ, auaritiæ, gulæ, luxuriæ accrescant, dummodo non excrescant, rationem ad consensum pertrahendo: virtutibus non nocent. Plurimum siquidem anima meretur, dum vitiorum motus inuicta, & resistendo tolerat. quia vbi maior lucta, ibi & maior corona. Quod vero diabolus, totius gratiæ inimicus, huiusmodi zizania in nobis seminet ad virtutum subuersionem: & paterfamilias, id est, auctor totius gratiæ Christus eadem crescere sinat ad profectum meritorum virtutumque perfectionem; non solum ex præsenti loco colligitur, sed etiam ex verbis Apostoli vbi dicit. *Ne magnitudo reuelationū extollat me datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus sathanæ qui me colaphizet*. 2. Cor. 12. 7. Quē cum tolli peteret à se, timens tritico virtutum suarum; Dominus non annuit, sed respondit: *Paule, sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur*. Licet Deus in nobis esse velit fomitem propter pugnam; & pugnam propter coronam: non tamen ibi vult esse culpam, quæ ex delectatione contrahitur. Quæ si ante messem per pœnitentiam non fuerit collecta, tempore messis, id est, mortis quando anima præcidetur à corpore, in igne purgatorio concremabitur.


Et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania & alligate eos fasciculos, ad comburendum Peccata venialia in purgatorio eluuntur. Ecce, quæ hic Dominus, secundum expositionem nostram, vocat zizania: Apostolus appellat ligna, fœnum & 1. Cor. 3. 12. stipu-

stipulam. Per Angelos, quos hic messores intelligimus, electorum animæ ad purgatorium deferuntur, & cum illic omnia fuerint consumpta, quæ hic non sunt deleta: triticum, id est, virtutum merita integraliter per eosdem in cœlestia congregabũtur horria, mercede æterna remuneranda. Licet enim peccata venialia pœnam infligant, & à gloria differãt, non tamẽ, vt quidam volunt, præmium minuũt in patria, vel charitatem in via. In cœlestia horrea nihil intrare poterit, nisi prius bene ventilatum & purgatũ fuerit, vel per ignem vt diximus, vel per orationes, & eleemosynas ecclesię militantis.

Conclusio Quod si tempore messis cum pœnis differri non placet à gloria: agrum cordis mundum seruare studeamus in via: vt per angelos sanctos sine mora in æterna congregari mereamur tabernacula. Amen.

IN SEPTVAGESIMA

Secundum Matth. Cap. 20.



IN illo tempore. Dixit Iesus *discipulis suis parabolã hãc. Simile est regnum cælorum homini patrifamilias qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam,* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo VIII. *De ordine Cisterciensi* a Ioan. 14. 6.

TRia in hac sacra lectione consideratione digna occurrunt: scilicet operariorũ conductio: cõductorũ operatio: operantiũ remuneratio. Propter hæc tria in alio loco dicit Dominus: *ego sum via, veritas, & vita.* Via in conductione: veritas in operatione: vita in remuneratione.

Religiosi Religiosorum congregatio & regnum cœlorum est, & vinea: quia in ea Christus quasi Deus regnat per fidẽ, & quasi vineam excolit per disciplinam. Quot in monasterio fratres: tot in vinea patrisfamilias habet vites b *Vinea Domini exercituum domus Israel est.* Israel interpretatur vir videns Deum. Conuentus monasticus domus est propter vitam communẽ; vir, propter virtutem: Deum videns, per contemplationem. sunt Cœlum & vinea. b. Isai. 5. 7.

Eos Christus vocat. Ad culturã huius vineæ homo Christus Iesus exit primo manè hora tertia, sexta, nona, & vndecima, conducere operarios. Horæ istæ teste Beato Gregorio, sunt diuersę ætates vitæ humanæ: videlicet pueritia, adolescentia, iuuentus, senium, ætas decrepita.

In his horis exit Christus per respectũ misericordiæ, aliquos vocare in vineã suam. Omnes ab illo vocati sumus, fratres, in vineã Ordinis Cisterciensis. Ipsa est vinea illa, de qua in Psalmo legitur. c *vineã de Aegypto trãstulisti.* Omnes pene de tenebris vitæ sæcularis vocati sumus: quia nõ infãtes, sed adulti ad culturã huius vineæ admittũtur. Aegyptus interpretatur tenebrę. Et videtur impletũ in hac vinea, quod in eodẽ Psalmo subiũgitur: *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius cedros Dei. Expandit palmites suos vsque ad mare: & vsq; ad flumẽ propagines eius.* Possumus quidem hos versiculos ordini nostro adaptare, etiam ad litteram. c. Psal. 79. 9. Ibidem.

Ordinis Cisterciẽsis primordia. Ordo Cistertiensis in egressu suo de Molismo vinea parua erat: viginti & vni habens vites. Tot enim monachi de eodẽ loco sũt translati. Erat autem Molismus & adhuc est monasteriũ nigri ordinis celeberrimũ: tẽebras quidẽ habẽs Aegypti per nigredinẽ vesti-

 men-

mẽtorũ: sed cãdorẽ splẽdore virtutũ. Et quia vineæ huius Dominus dux fuit. radices eius plantans in Cistercio; adeo profecit in breui, vt impleret terram. Nam sicut hodie videmus impletum, d *extendit palmites suos vsque ad mare*; tã orientale, quam occidentale, nouas semper vineas emittẽs: ita vt iam non sit regio vel insula intra metas Latinitatis, vbi ordo Cisterciensis non sit. Ante annos paucos Henricus Flandrensis, qui post Balduinum fratrem suum Constantinopoli imperauit, de germine huius vineæ etiam in Græciam transtulit, formam nouæ religionis illic plantans.

d Psal. 79. 12 Propagatio.

Ibidem. Quod autem sequitur: *& vsque ad flumen propagines eius*: nouimus impletum. Nam iuxta Iordanem domus vna de ordine nostro est; & vltra flumen vsq; ad terminos orbis terrarum extenderetur, sicut satis opinabile est, si culturam eius non impediret malitia paganorum.

e Psal. 79. 11. Celebritas

e *Operuit montes vmbra eius, & arbusta eius Cedros Dei.* Montes sunt sæculares dignitates: in quibus est altitudo gloriæ & fortitudo potentiæ. Cedri designant dignitates spirituales: qui per bonæ vitæ sublimitatem, & incorruptæ famæ odorem alios excrescere debent. Singulis penẽ annis Capitulo generali Dominus Papa, Cardinales, Pontifices diuersarum ecclesiarum, necnon & Imperator, Reges, Duces, Marchiones, Comites litteras dirigunt, ordinis orationes expetentes: sub vmbra meritorum illius se viuere profitentes. Igitur multæ vineæ sunt in ordine Cisterciensi. Multæ, & vna: quia licet diuisus sit ordo per domos plurimas: omnes tamẽ respectum habent ad Cistertium.

Primum Mane, quo paterfamilias exit conducere operarios in vineam suam; puerilis ætas est. Quosdam enim vt nostis, in pueritia vocat ad suum seruitium. *Denarius diurnus*, merces laboris nostri est. *Dies* est vita humana: qui sex prædictis ætatibus distinguitur. *Conuentionem* hic intelligimus congruam mercedem: videlicet cum hoc quod conductor offert, conductus acceptat.

Sed quid dicimus de infantibus, siue pueris, quos parentum deuotio obtulit in monasterio? Nunquid & circa hos conuentio facta est? Nunquid sine culpa ante finem diei exire poterunt de vinea? Nequaquam. Audite super hoc fratres, non me; sed beatum Papam Gregorium scribentem ad Augustinum Anglorum Episcopũ *Addidistis*, inquit, *ad hæc: quod si pater, vel mater filium filiamue intra septa monasterii in infantia annis sub regulari tradiderint disciplina: vtrum liceat eis, postquã ad pubertatis adoleuerint annos egredi, & matrimonio copulari. Hoc omnino deuitamus: quia nefas est, vt oblatis à parentibus Deo filiis, voluptatis frena relaxentur.* Item ex Concilio Toletano. *Monachum aut paterna deuotio; aut propria professio facit. Quicquid horũ fuerit, alligatum tenebit. Proinde his ad mundum reuerti intercludimus aditum. & omnes ad sæculum interdicimus regressus.* Item Isidorus *Quicumque à parentibus propriis in monasterio fuerit delegatus: nouerit se ibi perpetuo mansurum. Nam Anna Samuel f puerum suum natum, & ablactatum Deo pietate obtulit: qui & in ministerio templi. quo à matre fuerat deputatus, permansit & vbi constitutus est deseruiuit.* Item ex Concilio Tiburiensi. *Quem pro-*

Pueris Ordini oblatis nõ licet exire adultis.

f 1. Reg. 1.

progenitores ad monasteriũ tradiderunt; & in ecclesia cœpit canere, & legere: nec uxorem ducere, nec monasterium deserere poterit. Sed si discesserit, reducatur si tonsuram dimiserit rursus tondeatur: si uxorẽ usurpauerit, dimittere cõpellatur. Ex his Sanctorũ auctoritatibus colligitur, quod paterna professio pueros tenet obligatos: nec licebit eis à proposito discedere; quod paterna deuotione in puerilibus annis susceperint.

Egressi sũt retrahẽdi.

Hæc propter quosdam inserui, qui verbis Marcelli Papæ adhærentes, dicunt virgines sacras, postquam peruenerint ad annos adolescentiæ, licitè posse egredi, & nubere: & fiunt eis occasio mortis. Ait enim Marcellus Papa. *Illud autẽ statuendũ esse censemus, vel decreuimus vt si in minori ætate filii in monasterio oblati fuerint, & sacram tonsuram vel velamina susceperint: dignum quidem ducimus, vt in quintodecimo anno à Prælatis monitis & verbis inquirantur, vtrum in ipso habitu manere cupiant, an non. Si vero permanere professi fuerint, vlterius pœnitendi locum minime amplecti possunt. Sin autem, ad sæcularẽ habitum redeundi licentia nullo modo denegetur: quia satis inutile est vt coacta seruitia Domino præstentur.* Hæc autem dispẽsatio ad eos maximè pertinere videtur; qui ab initio conuersionis infra annos pueritiæ reclamauerũt, à parentibus coacti. Similis dispensatio, vel magis permissio habetur in regula S. Benedicti Abbatis de his, qui infra tempus probationis cõstituti sunt. *Si potes*, inquit, *obseruare, ingredere: si vero non potes, liber discede.* Sequitur:

Constitutione Marcelli non obstante *Verum hæc obseruãda nunc ecclesia visa est illa antiquata.*

Hæc hodie tutior obseruatum.

Et egressus circa horam tertiam inuenit alios stantes in foro otiosos: & illis dixit: Ite & vos in vineam, & quod iustũ fuerit, dabitur vobis. Ab hora tertia & deinceps, id est, à tempore adolescentiæ operarij in Ordinem Cistertiẽsem vocantur. Nec sine causa hi in foro otiosi stare dicuntur. In foro tractantur causæ, & negotia sæcularia: quæ vix vel numquam sine peccato peraguntur. In illis auaritia, & mendacia, iuramenta, atque periuria. Quando puer attingit annos adolescentiæ, remouetur à pædagogo atque timore; & ex tunc rebus incipit sæcularibus intendere, de illisq; cogitare. Et quia in illis nullũ meritum est; immò magis peccatum: nõ sine causa otiosi stare dicuntur. Certè bene cum negotiatoribus ageretur; si possent otiosi stare: id est, neque peccare, neque proficere. Charitas vero nunquam stat otiosa: quia aut proficit, aut deficit. Prima hora conducti minimè de otiositate notantur: quia pueri, cum litteras discunt, vel alias quaslibet artes mechanicas, in quibus timent, & vapulant; non sine merito sunt, si tamen à vitijs se custodierint. Istis, id est, adolescentibus, non promittitur denarius diurnus: sed *quod iustum est*, inquit, *dabitur vobis*. Iustitia enim nõ exigit, sed gratia, vt hi qui partẽ diei neglexerunt, plenitudinem mercedis diurnæ recipiant. g *Vnusquisque*, teste Apostolo, *recipiet secundum suum laborem.* Poterit tamen fieri, vt dispendium temporis suppleat immensitas laboris. Videmus sæpe eos, qui in adolescentia, vel in sequentibus ætatibus conuersi sunt, & grauiter in sæculo peccauerunt; eos, qui in pueritia vocati sunt, antequam peccarent, longè antecedere tam labore, quam deuotione.

De vocatis ad religionẽ in adolescentia.

g Col. 3. 25

Iterum autem exiit circa sextam & nonam

Iuuenibus

nonam horam: & fecit similiter Quod de adolescentibus iam dictum est, hoc de iuuenibus, atque senibus intelligamus.

Senibus *Circa vndecimam vero exijt: & inuenit alios stantes, & dicit eis. Quid hic statis toto die otiosi?* Hora vndecima ætas decrepita est. Ecce adolescentibus, licet eos paterfamilias otiosos stare dixerit; non tamē eis otiositatis vitium improperat: sed decrepitis. Valde digni sunt correptione, qui vsque ad ætatem decrepitam Deo seruire, & pro peccatis suis satisfacere negligunt.

Qui tamē se excusantes responderunt. *Quia nemo nos conduxit.* Senes & infirmi eo, quod laborantibus tantum oneri sint, minus libenter recipiūtur. Cum ipsi laborare non possint cantando, legendo, & opere manuum iuuenes sibi seruientes abstrahūt à labore communi. Hinc est quod multi talium sæpe vocati diuinitus, parati essent intrare vineam congregationis si admitterentur. In quorum persona psalmista dicit Deo: *Ne proijcias me in tempore senectutis; & cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Sequitur.

Procurator est Abbas. *Cum autem sero factum esset dixit Dominus procuratori vineæ. Voca operarios.* Procuratorem vineæ Abbatem intelligamus, qui vices Christi agit in monasterio: cuius curæ tam vinea, quam operarij sunt commissi. Quod si

Fratres sūt & Operarij, & vites. monachi vites; qui operarij? Puto eosdem esse operarios; quos vites. Qui monachi sunt, & vere monachi, cum per studium disciplinæ tam à se ipsis, quam à confratribus excoluntur, vites sunt. Cum vero versa vice & seipsos, & alios excolunt; operarij sunt. Verbi gratia. Cum frater fratris excessus monendo, suadendo, vel aperte proclamando corrigit; operarius est: cum ei gratia eadem rependitur, vitis est. Sic se Saluator appellat h vitem veram, patrem vero suum agricolam, discipulos palmites. Cuius gratia monachi efficiuntur vites; quorum actiones sunt palmites: botri vero, merita: vinum expressum, exempla bona. h. Ioan. 15.

Abbatis est colere vineam relig. Ad abbatem spectat, vt vineam sibi commissam stercoret, fodiat, putet, plicet, & paxillet. Stercora sunt commoda vel subsidia corporalia: quę Apostolus arbitratur i vt stercora, vt Christum lucrifaciat. Hæc Abbas in quantum valet, & regula concedit, & viderit expedire, fratribus tam per se, quam per Cellarios ministrare debet: ne in Dei seruitio viribus deficientes, modicum afferant fructum.

In paupertate magis est meritorius Dei cultus. Quod si hanc impinguationem excluserit necessitas, non procuratoris tenacitas: non contristentur fratres; quia tantò erit vinum ministeri eorum nobilius, & ad potandum Christo delectabilius; quanto ager monasterij in rebus temporalibus fuerit sterilior. Hoc dicunt vinitores, quod fimus vitibus appositus fructum quidem multiplicet, sed vinum deterioret. Sicut è conuerso per defectum stercoris, vini diminutionem saporis dulcedo recompensat k *Habentes victum & vestitum, his contenti simus.* Simile. k. 1. Tim. 6. 8.

Pallor & macies laudantur in religioso. Pallor & macies in monachis, signa sunt dulcedinis interioris. In botro qui extrinsecus pallet & crocei coloris est, vinum suaue speratur, qui vero in suo virore ad maturitatem

tem peruenit, vinum acetosum gignit. Satis impossibile est, vt monachus qui nimis diligens est, quomodo corpus suum per delicata cibaria & vina exquisita nutriat & impinguet, Christo fructum delectabilem ex se producat. Vnde ipse discipulis dicebat: l *Videte, ne corda vestra grauentur in crapula & ebrietate.*

Nocent cuticularij philareti.

l Lu. 21. 34

Fossio pertinet ad ministerium audiendæ confessionis. In qua Abbas tam paratus & tam sollicitus esse debet: vt per circumspectam inquisitionem conscientiam confitentis euerrat; & ne vitia succrescentia fructum in illo meritorum impediant, eandem binare atque tertiare non renuat. Confessio non solum necessaria est incipientibus: sed etiam proficientibus, atque perfectis. Maximè propter tria foditur vinea: videlicet ne humor terræ in gramina quæ succrescere solent, transfundatur; & vt vites crescendo proficiant; et usque maturescant. Hæc tria specialiter operatur in monachis frequens criminũ cõfessio. Culpam tollit: meritum promouet: perficit charitatem.

Confessio sit curæ Abbatis.

Id est iterata fossione recolere.

Obseruanda propter tria.

Fossioni adiicienda est putatio, per quam excrescentes palmites resecantur, ne vites duobus aut tribus annis tantum fructum faciant; vt quarto anno vel quinto exsiccatis viribus crescant. Hoc Abbas summoperè cauere debet in spirituali putatione: de qua dicitur in Canticis, m *tempus putationis aduenit.* Si perspexerit monachum sibi commissum per indiscretum feruorem palmites actionum suarum nimis emittere ieiunando, vigilando, legendo, orando, & supra vires manibus laborando; ferro prohibitionis sic illa temperet, vel resecet, ne post modicum tempus deficiens non solum sibi, sed & alijs inutilis fiat. Quod si excrescentes palmites nimis præciderit, monachum ad commoda corporalia plus, quam necesse fuerit compellendo: meritum in illo minuet. Vtrumque enim Abbas cauere debet: ne videlicet vires suas celerius expendat per nimietatem laboris: & ex altera parte nimis sibi parcendo vitium incurrat corporis. Attendat quod paterfamilias dicit. n *Omnem palmitem in me ferentem fructum pater meus purgabit vt multũ fructum afferat.*

Nimia diligentia & mortifica tio est prohibenda.

m Cant. 2. 12.

n Ioan. 15

Putationem sequitur plicatio. Opera discipulorum Abbas in auribus eorum propter periculum inanis gloriæ non debet commendando erigere; sed magis plicare, id est, deprimere. Vnde Sanctus Benedictus dicit: *Artifices si sunt in monasterio, cum omni humilitate faciant ipsas artes: si tamen iusserit Abbas. Quod si aliquis extollitur pro scientia artis suæ; eo quod videatur aliquid conferre monasterio; hic talis euellatur ab ipsa arte, & denuo per eam non transeat nisi fortè humiliato ei iterum Abbas iubeat.*

Cauenda elatio ex artificio operis.

Paxillos etiam adhibere debet, affabilem se subditis exhibendo: & tam verbis, quam exemplis semper illos sustentando. Nimia austeritas Prælatorum multos in terram deposuit: fructus operum illorum inutiles reddens. Paxillos etiam intelligere possumus officia, quibus pusillanimes ac debiles sustentãdi sunt; ne nimietate laboris, aut vi contem-

Accedat suauitas Abbatis.

contemplationũ impulsi cadant, & pereant. Cui vniuersa hæc fuerint exhibita, & non fecerit fructum: quid aliud ei superest; nisi vt secundũ Domini sententiã, o succidatur ignibus æternis reseruandus: ne terram inutiliter occupando alijs sit impedimento.

o *Matt.7.19.* *Luc.3.9.*

Cum, inquit, sero factum esset. Sero significat finem vitæ: sicut manẽ principium. Vnde Esaias. p *De manè vsq; ad vesperas finies me.* Quando monachus tendit ad finem, accedere debet ad illum Abbas, & vocare eum monẽdo ad confessionem & perceptionem sacræ inunctionis atque Eucharistiæ: sicque illi reddere firma spe ac certa promissione mercedem æternæ retributionis.

p *Esa. 28.12.* Dantis viaticum morientibus.

Cum in Claraualle Conuersus quidam esset moriturus: & beatus Bernardus audita eius confessione, post inunctionem atque sacram Communionem diceret: modo lætus esto frater: quia Dominus dabit tibi vitam æternam. Ille valde fiducialiter respondit: Ego certus sum de vita æterna. Cui cum vir sanctus timeret, nesciens de quo fonte verbum emanaret, diceretque: quid est frater, quod tam præsumptuose loqueris? Ille non minori constantia, quam prius subiecit: Domine, vel vos estis mendax; vel meum est regnum cœlorum. In quo? inquit. Respondit Conuersus: Quãdo in facie Conuentus promisi vobis Obedientiam inter manus boni vsq; ad mortem: & vos mihi respondistis, & Dominus det tibi vitam æternam: nunquam ab illa hora vsque in præsens, neque vobis neq; alicui fratrum meorum extiti inobediens: ipsi enim testes sunt. Quo audito beatus Abbas respondit: Perge securus: quia reuera, vt dicis, tuum est regnum cœlorum: tibi enim debetur denarius diurnus.

Exemplũ religiosi cerni de salute. *Apud Sur. tom.4. die August.*

Nota formulã priscã Professionis in tacexpressa obedientia.

Quód enim dicitur, redde illis mercedem; sic potest intelligi, vt imperatiuus ponatur enunciatiuè: vt sit sensus: *Redde*, id est, inducã esse reddẽdam. Simile est quod alibi de se dicit Dominus Iudæis. q *Soluite templũ hoc*, id est, soluetis.

q *Ioa.2.19*

Incipiens à nouissimis vsque ad primos. Frequenter videmus, vt decrepiti, qui tardè veniunt ad Ordinem, eos, qui diu in eo laborauerunt, ad requiem præcedant. In occidua ætate cõstituti diu viuere non possunt. Sit quod in singulis ætatibus, pueritiæ scilicet, adolescentiæ, iuuentutis, senij, & ætatis decrepitæ aliqui conuertantur; nisi impediatur in eis cursus naturæ, prius præsenti vitæ subtrahuntur decrepiti, quam senes; prius senes, quam iuuenes: prius iuuenes, quam adolescentes: prius adolescentes quam pueri. Sicque recursus fit à nouissimis vsque ad primos.

Cum ergo venissent qui circa horã vndecimam venerant, *acceperunt singulos denarios.* Denarius iste merces est in vita æterna. Quæ licet vna sit, singulis tamen datur electis. De qua per Psalmistam dicitur. r *vnam hiuc vnicam petiu à Domino.* Statimq; ostẽdit quæ hæc vnica sit, cum subiũgit: *vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* De pluralitate denariorum aliter dicitur à Domino: s *In domo patris mei multæ mansiones sunt.*

Dat Deus vitam æternam.

r *Psa.26.4*

s *Ioa.14.2*

Venientes autem primi; arbitrati sunt, quod plus essent accepturi. Acceperunt & ipsi singulos denarios. Hi eos exprimunt, quibus cogitationes suæ suggerunt; quod plus mercedis, propter longi

longitudinem temporis & immensitatem laboris sui, quàm senes & decrepiti, qui conuersi sunt tardè, recepturi sint à Domino: & ob hoc extolluntur.

Exemplū Male fidē tis in senio

Non est diu quod quædam Sanctimonialis Ordinis nostri huiusmodi cogitationibus pulsata, cōfessori suo dixisse fertur: Bone Domine, estne vidua vna, quę fortè tres vel quatuor liberos genuit in sæculo, & modico tempore laborauit in monasterio, mihi æquiparanda: quæ virgo intraui, & ab ineunte ætate Domino seruiui?

Et quia talis consideratio, quædam contra Deum est murmuratio: rectè subiungitur: *Et accipientes murmurabant aduersus patremfamilias dicentes: Hi nouissimi vna hora fecerunt, & pares illos nobis fecisti qui portauimus pondus diei, & æstus.* Ac si dicant: Nos iam quadraginta annis, siue quinquaginta, vel plus laborauimus in Ordine ieiunando, vigilando, legendo, cantando, & manibus nostris laborando: & cum decrepiti nihil horum facere valeant; non est iustum, vt æquale præmium nobis recipiant. Sex vel septem anni, quibus tales in Ordine durare possunt, ad quadraginta siue quinquaginta annos quasi vna hora sunt.

At ille respondens vni eorum dixit: Amice non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario conuenisti mecum? Quod tibi sufficit in conuentione; sufficiat & in remuneratione. Sufficiat exeunti; quod suffecit intranti. Tolle, quod meruisti, & vade de labore ad quietem, de seruitute ad libertatem, de penuria ad abundantiam, de tempore ad æternitatem.

Volo autem huic nouissimo dare sicut & tibi. Non ait, quantū tibi; sed *sicut tibi*: vt *sicut* notet minoritatē non æqualitatē, vt ibi: t *estote perfecti sicut & pater vester perfectus est.* Si dixisset, *quantū*: profectò plus laboranti faceret iniuriam: quia u *vnusquisque recipiet secundum suum laborem.*

t. Mat. 5. 84.

u Mat. 6. 27.

Denarius iste diurnus, vt prædictum est: merces est æternæ beatitudinis. Denarius Imperatorius decem æquipollebat denariis vsualibus. Præmia iustorum consistunt in glorificatione corporum atque animarum. Quatuor dotes erunt in corporibus: scilicet claritas, subtilitas, agilitas, & impassibilitas: & tres in animabus, id est, cognitio, dilectio, fruitio. Tres etiam personas credimus in vna Deitate: quibus cum coniunctus fuerit electorum septenarius; perficietur denarius diurnus x. *Qui adhæret Deo vnus spiritus est.*

Denarius est Glorificatio.

x 1. Cor. 6. 17.

Denarius iste quibusdam erit aureus; quibusdam argenteus: quia, vt dicit auctoritas, *in dispari claritate par erit gaudium.* Sicut enim denarius differt à denario, propter metalli nitorem, vel fulgorem: sic erit & resurrectio mortuorum. Vnde Dominus y. *Sicut stella differt à stella in claritate: sic erit & resurrectio mortuorum.* Alia est claritas solis, alia claritas lunæ; alia claritas stellarum.

Accidente diuersa.

y 1. Cor. 15. 41.

Sequitur: *An non licet mihi facere, quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Quasi dicat: O adolescens, tu consideras tempus & pondus tui laboris; & non pensas, in decrepitis esse feruorem dilectionis. Non penes laborem: sed penes charitatem meritum consistit. Ipsa meritum alienum efficit proprium. Oculus, qui ista non considerat, nequam

Ob charitatis diuersitatē.

quam est: nec bonitati meæ concordat. Sic erunt nouissimi conuersione, primi remuneratione: & è conuerso.

Quod autem sequitur: *multi enim sunt vocati, pauci vero electi*: terribiliter quidem sonat: sed ad vineæ huius operarios minime spectat. Singuli singulos, vt supra dictum est, acceperunt denarios. Innumerabiles paterfamilias quotidie vocat ad fidem; sed paucos, respectu multitudinis, eligit ad Ordinis nostri culturam. Quod si intelligatur de electione prædestinationis, speramus per ipsius gratiam, qui quotidie in hanc vineam operarios introducit; quod minorem ex côductis partem reprobabit.

In religione multa salus.

Tempore quodam, cum sanctus Bernardus Abbas Clareuallis adhuc adolescens ad Missam staret, & quædam illic negligentia circa ministerium altaris contigisset: quædam reuerenda persona illi tristi vultu apparens ait: Si scirêt monachi quantû sanctos Angelos, qui hic præsentes sunt contristarêt, cum in hoc sacro ministerio tepidi sunt & negligentes; & quâtum illos lætificarent, quando illos deuotos vident atque feruentes: cautiores efficerentur. Quem cum interrogaret vir beatus de statu monachorum, respondit ille: Omnes qui in Ordine Cistertiensi perseuerauerint; salui erunt.

Exemplû. promissæ salutis Cisterciênsibus.

Non nos hæc verba, fratres, seducant. Si aliqui essent inter nos, quod absit, fures, proprietarij, conspiratores, eisque consimiles; tales de Ordine non essent, quia eiusmodi Ordo excômunicauit. Qui non cômunicat alienus est. Referâ vobis adhuc aliam visionem, quæ huic satis concordat.

Non ex communicatis.

Cum duo adolescentes apud Toletum in nicromantia simul studerent, & vnus illorum ingrauescente infirmitate moriturus esset; alter eum adiurauit quatenus infra tricenarium sibi apparendo, in quonam statu esset, indicaret. Quod cum ille promisisset, post mortem socio sedenti in ecclesia, & psalmos legenti pro anima eius visibiliter adfuit; asserens se in maximis pœnis esse, & æternaliter propter studium artis diabolicæ damnatum. Et adiecit: Reuera nicromantia secundum titulum suum mors animæ est: & si in illa decesseris, simul mecum tormentis æternis subiacebis. Cui cum diceret, ad qualem vitam mihi consulis? respondit ille: Ad Ordinem Cisterciensem. Et adiecit: Non est aliquis Ordo in ecclesia, de quo tam pauci descendant ad inferos. Habent enim specialem Aduocatâ, Dei Genitricem notans, quę non finit illos perire.

Aliud Nicromantici damnati.


Suadentis socio Ordinem ad pœnitentiam.

Patrocinium B. V.

Vnde fratres charissimi, Ordinê nostrû diligamus; in Ordine nostro laborando perseueremus: vt denarium æternæ beatitudinis læti accipere mereamur. Quod nobis verus paterfamilias Dominus noster Iesus Christus concedere dignetur, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in secula seculorum Amen.

EADEM DOMINICA

Secundum Matth. Cap. 20.



Imile est regnum cælorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Et reliqua.

HOMI-

HOMILIA MORALIS DE Eadem Lectione.

Sermo IX. De actibus Virtutum.

Regnum cœlorum fides est, per quam Apostolus dicit a. Christum regnare in cordibus nostris. Item Saluator b. *Regnum cœlorum intra vos est*. Hæc fides scilicet, quę fundamentum est omnium virtutũ, similis est homini patrifamilias cõducenti operarios in vineam suam. *Paterfamilias* Christus est: *vinea* eius anima Christiana: *vites* virtutes: *palmites* motus virtutum: *pampini* ornatus morum: *fructus* opera virtutum. Primum mane, hora tertia, sexta, nona, & vndecima, quibus exit conducere operarios in vineam istã, diuersæ sunt ætates hominis, sicut in superiori Sermone dictum est; in quibus diuersos vsus virtutũ inducere nõcessat, per quos animæ vineã fœcũdet.

a.*Rom.* 5. b.*Luc.* 17. 21.

Actus virtutum sũt operarij. Quod vsus, & actus virtutum operarij sint, testis est Apostolus, qui ad Corinthios scribens, sic ait: c. *Diuisiones operationum sunt: idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Alij quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alij sermo scientiæ per eundem Spiritum; alij fides in eodem Spiritu: alij gratia sanitatum in eodem spiritu: Alij opera virtutum: alij Prophetia: alij discretio spirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio sermonum.* Ecce tales sunt operarij, quos paterfamilias conducit, & inducit in vineam suam.

c.1.*Cor.* 12 6.

In pueritia. Quosdam primo mane, id est, in pueritia; sicut legitur de Daniele, d. & tribus pueris socijs eius: quibus dedit scientiam, & disciplinam in omni libro & sapientia: Danieli autem intelligentiam omnium visionum & somniorum. Simili modo vsus aliarum virtutum in cæteris ætatibus inducit: sicut manifestis exemplis probare possemus, tam de veteri, quam de nouo Testamento: nec non & his quę nostris temporibus contigerunt: sed compendio vti volentes, meditationi legentium hoc relinquimus. Cũ Deus per Spiritum suum sanctum omnes simul virtutes humanis mentibus infundat; non tamen vsus illarum simul, sed successiue inducit.

d.*Dan.* 1.

Inque omni ætate.

Motus virtutum merentur salutem. *Conuentione*, inquit, *facta cum operarijs ex denario diurno; misit eos in vineam suam.* Denarius diurnus, merces est vitæ æternæ. Quare autem denario compararetur, supra expositum est. Quilibet enim motus cuiuslibet virtutis, meritorius est vitæ æternæ. Nõ enim ipsis virtutibus meremur: sed motibus virtutum. Cum meritum penes virtutem sit tantum formaliter: penes eius motum consistit essentialiter. Fides virtus est: credere, motus fidei est. Non enim adultus meretur fidem habendo, sed credendo: cũ tamen habitu fidei dignus sit vita æterna. Cum palmites ex vitibus surgant: non tamen vites, sed palmites botros generant. Ergò bene fides cõparatur viti, & motus palmiti; fructus vero operi exteriori.

Simile

In mundo est opera mutua, sui non Dei causa. *Et egressus circa horã tertiam, inuenit alios stantes in foro otiosos.* Hora tertia adolescẽtia est. Ætas ista magis apta est vti virtutibus, & per illas operari, quã pueritia. Hæc in foro otiosa stare dicitur, nõ sine causa. In foro rerũ fit cõmutatio inter vendẽtẽ & emẽtẽ. In foro stare, est amicos tantũ diligere; patientiã seruare in aduersis; obedire ad placita: sicq; de cęteris. Huiusmodi operarij in foro stãt, & otiosi: quia tales vicissitudines, quædã sunt negotiatiões; & ideo meritũ nõ augẽt.

Tále commercium non esse meritorium quodam in loco Dominus ostendit, ad discipulos sic loquens. e *Si diligitis eos, qui vos diligunt; quam mercedem habebitis? Nonne & Publicani hoc faciunt? Et si bene feceritis eis, qui vobis benefaciunt, quæ vobis est gratia? Et si mutuum dederitis his, à quibus speratis recipere aliquid, quæ est gratia vobis? Nam & peccatores peccatoribus fœnerantur: ut recipiant æqualia.* Quasi diceret: Si vultis esse fructuosi operarii *diligite inimicos vestros & benefacite & mutuum date nihil inde sperantes: & erit merces vestra multa.* Vnde etiam Apostolus f consulit *bonum operari ad omnes: maxime autem ad domesticos fidei.*

e Matt.5. 46.

At intelligi one esto & gratuita Dei causa.

f Gal.6.

Ite in vineam meam & quod iustum fuerit dabitur vobis. Motus virtutum secundum quod intensi fuerint, præmiabuntur. Simile intelligatur de numero. Frequentes & feruentes motuum intensiones charitatem perficiunt.

Intentio operũ auget charitatem.

Illi autem abierunt. Licet homo habeat virtutes in anima sua, plantatas per gratiam miserantem: non tamen illas exercere potest, nisi per gratiam Dei cooperantem. Vnde Apostolus hoc confitetur cum dicit: g *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

Miserante Deo.

g 1.Cor.15 10.

De operarijs sextæ horæ, & nonæ idẽ intelligamus quod de tertia: quia in ætate iuuenili atque senili quædam quibusdam dona, vt est prædicatio fidei, & interpretatio sermonum cócedit, quibus in superioribus ætatibus caruerunt.

Dona gratuita robustioris ætatis.

Hora vndecima ætas est decrepita: in qua aliquando operarios códucit; gratiam videlicet sanitatũ, Prophetiam, discretionem spirituum, miracula. Quæ ideò differt vsque ad finẽ vitæ: ne mens per illorum operationẽ in superbiam elata, laboribus præteritis priuetur. Sanctæ memoriæ Dauid monachus de Claustro non multo tempore ante mortem suam signis dicitur claruisse.

In senio datur gratia miraculorum.

Et quia Prophetiæ, atque miracula non sunt de substantia sanctitatis; sed sanctitatis indicia, magis pertinentia ad præmium, quam meritum: nõ sine causa dicuntur stare otiosi. Iudas cũ ceteris Apostolis signa fecit: Cayphas reprobus prophetauit.

Sed immerito.

Quid hic statis otiosi tota die? Licet viri religiosi signa exteriora non faciant; neq; futura prædicant: talibus tamen donis digni sunt: & quasi in eis stant per meritum. Habent enim ex promisso. h *Quidquid petieritis patrem meum,* inquit, *in nomine meo: fiet vobis.* Item: *Opera quæ ego facio, vos facietis: & maiora horum facietis.*

h Ioan.14 13.

Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Ac si dicerent: Fides indigentiũ, nullam a nobis sanitatum curam exegit. Certè fratres, multi sunt hodie religiosi, à quibus si signa exigeremus cũ fide & instantia; facilè à Christo ea cósequeremur. Sanctus Benedictus ad nimiam instantiam cuiusdam hominis, filium eius mortuum contra propriam voluntatem suscitauit. Miracula quæ fiunt sine certa necessitate, periculosa sunt. Dixit illis:

Nec necessaria, ob fidem.

Exemplũ.

Ite & vos in vineam Mira clementia Saluatoris: sæpe seruos suos glorificat in signis & portentis, etiã non rogatus. Ire in vineam, sanitatem operari est.

Gratuita autem.

Cum autem serò factum esset: dixit Dominus vineæ procuratori suo. Procurator vineæ huius amor Dei & proximi

ximi est, qui alio nomine charitas appellatur. Tantæ enim auctoritatis est; vt omnes operarij, id est, aliarum virtutum motus ad ipsum respectum habeant; ipséq; omnes informet. Tantæ prudentiæ est, sollicitudinis, ac patientiæ; vt omnia in omnibus esse videatur. Vnde Apostolus de charitate loquens sic ait: ***Charitas patiens est, benigna est: non æmulatur, non agit perperā, non inflatur, non est ambitiosa, nō quærit quæ sua sunt; non cogitat malū, non gaudet super iniquitate: congaudet autem veritati. Omnia suffert, omnia credit omnia sperat, omnia sustinet.*** Qui enim diligit, nihil negligit. Vnde ad officium charitatis pertinet, vt vinea fimetur per humilem & amaram peccatorum recordationem; vt fodiatur per duram cordis contritionem; vt putetur per oris discretam confessionem. Sicut in putatione sarmenta resecantur: ita superfluitates cogitationum, locutionum, & actionū per confessionem purgantur. Paxillus viti suffixus Confessoris est consolatio: palmitum plicatio confitentis humiliatio: vinculum, quo vitis paxillo colligatur, obedientia satisfactionis. Sine charitate vniuersa hæc infructuosa sunt.

Charitas princeps est virtutū.

i 1. Cor 13. 4.

Confessio nem rectificat.

Vnde non immerito tali procuratori dicitur: ***Voca operarios, & redde illis mercedem.*** Quia penes charitatem meritum cōsistit: iustè per ipsum Dominus vineæ laborantibus mercedem restituit. ***Incipiens à nouissimis vsque ad primos.*** Opera finalia magis accepta sunt Deo. Ipsa sunt sacrificiū vespertinum: quod dignius erat in lege. Hinc est quod Iacob considerata virtute perseuerantiæ, filio suo Ioseph tunicā fecit talarem k atque polymitam: tāquam ex multarum virtutū vsibus cōtextam. l ***Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.*** Incipit à nouissimis vsque ad primos; ne aliquis virtutum vsus expers sit mercedis.

Mercedē dat.

Finalis perse erantia coronat.

k Gen 37. 3

l Mat. 24. 13.

Quod autem operarij primæ horæ murmurasse dicuntur contra operarios vndecimæ horæ; ad hoc spectat, quod nobis quandoque suggeritur à cogitationib. nostris, quod plus mercedis accepturi simus pro illis virtutibus quas in vsu habuimus ab ineūte ætate. Verbi gratia. Sit, quod aliquis habuerit vsum temperantiæ à pueritia, semper carnis illecebras refrenādo: & vsq. ad ætatem decrepitam vsu caruerit fortitudinis; iræ, & aduersitatibus per patientiam minus resistēdo; si putat se plus aliquid esse recepturum pro illa virtute, quam pro ista, murmurat contra patremfamilias, & est oculus huius considerationis nequam: quia is, ***cuius natura bonitas est, & opus misericordia***, tantam fecit inter virtutes concordiam; vt vna per alteram incendatur, & vna alteri mereatur.

Et æqualiter omnes.

Cum mercenarij ex denario diurno conducti inæqualiter laborent; æqualem tamen recipiunt mercedem. Infirmi defectum fortior supplet; & simul cōsummāt. Si hæc obseruat consuetudo humana; ita vt fortior nō causetur de illata sibi iniuria: non murmuret cogitatio humana contra bonitatem diuinā modo prædicto. Vnde & vni eorum dicit:

Propter cōmunicatiōnē operū.

Amice non facio tibi iniuriam. Tolle quod tuum est, & vade. Notate fratres, quod mercenarij in sero iubentur exire de vinea: soli procuratori intus manere licet. Et meritò. Ad hoc enim vsus & actus diuinitus inducuntur; vt vites, id est, virtutes quæ permanent,

Tunc cessant actus virtutum.

fructus faciant. Virtutes enim in quantum qualitates sunt; permanebunt in patria: vsus autem destruetur. Vnde Apostolus de permanētia solius charitatis loquens dicit n. *Charitas nunquam excidet: siue Prophetia euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur*. Quædam omnino destruentur; vt Fides & Spes; quædam ex parte, vt Scientia, quantum ad actum & modum, manente qualitate. Sola autem Charitas, id est, diuinus amor, quem procuratorem vineæ diximus, perpetuabitur: qui hic quidem habet initium, & in patria perficietur. Opera tamen charitatis ibi destruentur, non vsus: qui semper Domino adhærebit.

Præter charit. n 1. Cor. 13 8.

Sic erunt primi nouissimi, & nouissimi primi. o. Ioseph extremos fratrum suorum posuit coram Pharaone: & Dauid, p. nouissimus fratrum suorum, electus est in regem: & qui nouissimi erant natiuitate, primi facti sunt dignitate. *Et primi nouissimi*. q. Ruben qui primus erat in liberis, nouissimus fit in donis: quę omnia moraliter ad actiones exteriores possumus referre. Sequitur:

o Gen. 54
1. Reg. 16
q Gen. 49

Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. Cum Dominus multiplices vocet operarios ad excolendam vineam animæ: paucos ex illis eligit ad perpetuandum. Nam in egressu illius à corpore quędam virtutes cum suis vsibus omninò destruuntur; vt linguæ, & Prophetiæ, sicut præfatum est: quædam mutantur in melius; vt fides in speciem; & spes in rem: quædam perficiuntur & augentur, vt pax, & charitas. In illa cœlesti beatitudine pax pectoris præmiabitur pace æternitatis: & quantum distat inter igniculū & caminum: tantum tunc distabit inter charitatem patriæ, & eam, quæ nunc est, charitatem viæ. Vnde Isaias vtramque sic distinguit. r *Viuit Dominus, cuius ignis in Syon, & caminus in Hierusalem*. Dauid cum plurimos haberet filios, solum s Salomonem elegit in regem. Hic cum nasceretur, vocatus est à patre Salomon, t id est, pacificus: à Nathan vero Idida, u id est, dilectus Domini. Perpetuitatem harū virtutū Apostolus considerans. Corinthijs scribit dicens: *Pacem habete: & Deus pacis & dilectionis erit vobiscum*. Quod penes dilectionem laboris nostri merces consistat: etiam ex verbis probatur S..n..orum.

Quæ quatenus perēnēt virtutes.

r Isa. 31. 9.
s 3. Reg. 1.
t 2. Reg. 5.
u 2. Reg 12 14.

Abbas Ammon de loco Nitriæ venit ad Abbatem Antonium: & dixit ei: Video quia maiorem laborem, quam tu, sustineam, & quomodo nomen tuum magnificatum est super me? Et dixit ei Abbas Antonius: Quia ego diligo Deum plus, quam tu.

Exemplū. S. Athan. apud Sur. to. 1. die 17 Ian.

Quapropter fratres charissimi, pacē & sanctimoniam sectemur; Deum & proximum amare studeamus: vt per ipsum amorem, quem patrisfamilias esse diximus procuratorem, denario diurni laboris ditari mereamur: ipso præstante, qui x *dat, & non improperat*, Iesu Christo Domino nostro: cui honor & imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

x Iac. 5. 1.

DOMINIC. IN SEXAG

Secundum Lucam.



N *illo tempore: Cum turba plurima conueniret & properaret ad Iesum: dixit per similitudinem. Exijt qui seminat seminare semen suum*. Et reliqua.

HOMI-

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo. X.

De deficiētibus à Religione: de que Proprietarijs.

VT verbis vtar Sancti Gregorij: *Lectio hac sancti Euangelij expositione non indiget: sed admonitione. Quoniā per seipsam veritas exposuit: discutere humana fragilitas non præsumit.* Attamen licet non præsumamus eam aliter, quam exposita est, exponere: possumus tamen eandem nostri Saluatoris expositionem ad nostrum Ordinem satis vtiliter inclinare.

Quatuor enim loca exprimit, in quibus diuini verbi semina cadūt: secus viam: supra petrā: inter spinas: in terrā bonam. *Sator* Christus est: *semen* verbum salutis: quod duobus modis seminat in corde humano. Aliquando per occultā inspirationem: aliquando ministerio aliorum, per apertam admonitionem.

Religionē dissuadent sæculares.

Qui autem secus viam; hi sunt, qui audiūt. Secus viam sunt cuiuslibet cōditionis homines, sæculariter, & nō secundum legem Domini viuentes. In horū cordibus si quandoq; Dominus per quamcumq; occasionem seminauerit verbum salutiferæ cōuersionis; vix esse poterit, quin cōceptam volūtatē cognatis, & amicis aperiant. Quibus illi mox dissuadere, & verbum auersionis inculcare cū cœperint: quasi semen conculcant, ne proficiat. Pedes conculcantiū affectus sunt amicorum: qui multos sæpè auertunt à proposito cōuersionis. Vox illorum est: Certè melius est, & Deo acceptabilius, vt maneatis in domo vestra, & amicis siue cognatis vestris, pauperib. subueniatis; mendicos introducatis; reficiatis esuriētes; nudis detis vestimentum. Multò enim securius est eleemosynas dare; quam eleemosynas, & in eleemosynis peccata aliorum manducare.

Deinde venit diabolus & tollit verbū; id est, propositum cōuersionis, *de corde eorum, ne credentes*; id est, voluntatem opere adimplentes per bonā vitā, *salui fiant*. Plures verbis huiusmodi fracti & abstracti perierunt. Auibus cœli comparantur dæmones: quia aerem hunc caliginosum inhabitantes, importunè nos circumuolant; vt aliquid de corde, ore, atque opere nostro rapiant, vnde pascantur. Qui aliquando visi sunt, sicut legitur in Verbis Seniorum, in similitudine coruorum fratres colloquentes siue psallentes circumuolare: & cum verba recitarent inutilia, siue in psalmis syllabas aut dictiones negligerent, quasi grana illa colligebant. Quam sit periculosus carnalis affectus parentum circa liberos, seu liberorum circa parentes, maximè in proposito conuersionis, Dominus satis ostendit, cum dicit .a. *Si quis venit ad me & non odit patrem, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres & sorores; adhuc autem & animam suam; non potest meus esse discipulus.* Item in Deuteronom. b. *Qui dixerunt patri & matri, nescio vos: & fratribus, ignoro vos: hi custodierunt præceptum Domini & pactum eius seruauerunt.* Postquam diuisus est Loth, id est, carnalis affectus, ab Abraham: c promisit ei Dominus terrā. Hinc est quod quidam, cum transire volunt ad religionem, parentibus vel amicis summopere hoc celāt; ne ab illis retrahātur. In valle illustri d. multi erant putei bituminis. Bitumen attractiuæ naturæ est; & significat retinacula mūdi.

Sed suo periculo & malo.

Vide part. 1 hom. in vigil. Epiphan.

a Luc. 14. 26.

b Deu. 33. 9.

c Gen. 13.

d Gen. 12. 16.

Nam qui supra Petram, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbū: & hi radi-

radices non habent, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedūt. Hæc est expositio Domini. Pertinet autem ad eos, qui iam relicto sæculo habitum susceperunt, & in multa cordis lætitia in cella probationis sub feruore nouitio aliquanto tempore conuersantur. Qui orta tentatione, quæ per solis ardorem exprimitur; cum cœperint æstuare, mox desperāt, & tabescunt. & quia per vitium pertinaciæ humorem sibi subtrahunt cōseruantis gratiæ, arescunt in radice perseuerantiæ. Quidam in suis tentationibus omni lapide duriores sunt. *Cum gutta cauet lapidem, non vi sed sæpe cadendo*; illi nulla admonitione, nulla supplicatione vel cōsilio emolliri possunt, vt à concepta malitia resipiscant.

Alij ex tētatione deficiunt.

Venit quidam adolescentulus Gēmenrode multum deuotè, & humiliter petens ingressum. Susceptus autē sine querela conuersatus est. Hunc vero venerabilis sacerdos Dauid, de cuius sanctitate mira dicuntur, specialiter amabat: & ad propositū Religionis verbis suis mellifluis frequētius animabat. Cui iuuenis idem Sequentias, & quæque dulcia Cantica de domina nostra versa vice recitauit: quibus sanctam illius deuotionem sępius excitauit. Eodem anno, orto sole feruentissimæ tentationis, cœpit idem nouitius fluctuare, & quia periculose tētaretur, viro sancto indicare. A quo multis sermonibus confortatus, cum tentatio non cessaret, tandem de perseuerantia desperans, ait: Ecce iam recedo: diutius, quod patior, sustinere non valeo. Et sanctus, Expecta me, inquit: donec vadam ad ecclesiam, & orem. Et promisit. Festinante viro Dei ad oratorium; ille concito cursu rediijt ad sæculum: timens eius sanctis orationibus retineri. Reuersus venerabilis sacerdos ab oratione, cùm nō inuenisset quem reliquerat in probatione, gemens ait: Non est omnibus datum, vt perseuerent in Ordine.

Exemplū deficiētis.

Quam terribiliter Deus culpā tantæ pertinaciæ puniat; vnius nouitij à nobis recedētis mors miserabilis declarat. Cumque transiturus esset Rhenum, orta est tempestas propter eum, vt creditur, in flumine; sicq; procellis exceptus atq; exstinctus pœnā ibidem soluit apostasiæ.

Alius submergitur.

Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt qui audierunt, & sollicitationibus & diuitiis & voluptatibus euntes suffocātur; & non referunt fructum. Ita Dominus exponit. Tangit autem eos qui iam monachi facti, promissionis atq; professionis suæ immemores, non verè paupertatis sunt amatores; sed dēsum lutum contra se cōgregantes, sibi fœtorem, alijsque generant horrorem. Hi sunt in ordine proprietarij: quorū diuitię ipsę proprietates sunt. Has quidem cum voluptate congregant: sed cum multa cura & sollicitudine sub suis stramentis, alijsque locis abditis illas seruant. Huiusmodi diuitię spinæ sunt: quia conscientiā pungūt & cruciant. Timent enim miserrimi, & sunt pauidi, ne absconsa scrutatores scrutētur: ne scrutata reperiātur: ne reperta, pœna condigna puniātur. Lacerat illorum conscientiam, licet non caueant, culpa præuaricationis; pœna excōmunicationis; opprobriū, si deprehensi fuerint, eiectionis. De ipsis in Psalmo dicitur: e *Dormierunt somnum suum: & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis.* Alius

Proprietarij anxij sunt.

e Psa. 75. 6

Buan-

f. Matt. 13. 22. Perdunt omne meritum. Euangelista f vocat eas diuitias fallaces? Verè fallaces sunt diuitiæ proprietariorum: quia cum dormierint in morte monachi huic vitio subiecti, de omnibus suis laboribus, vigilijs scilicet, ieiunijs, orationibus, & opere manuum nihil omnino mercedis recipient. Spinis enim proprietatis, illorum merita suffocata sunt. De quibus & in libro Regum dicitur per

g. 2. Reg. 23. 6. Dauid g. *Praeuaricatores. vt spinæ euellentur vniuersi: quæ non tolluntur manibus. Et si quis eas voluerit tollere, armabitur ferro*, id est, ligno lanceato: *ignique succensæ comburentur ad nihilum.* Sicut spinæ in agro segetes impediũt, ne crescant: ita monachos suæ proprietates impediunt, ne proficiant: & quod periculosius est, omnia bona præterea suffocant.

Proprietatis culpa sæpè est in prælatis. Quod spinæ succrescunt in agro, non semper est ex sterilitate terræ: sed ex negligentia agricolæ. Ita aliquando vitium istud redundat in Abbatem: qui si sollicitus esset circa vitium proprietatis exstirpandum, secundum regulæ mandatum, quidam proficerent, & fructum referrent, qui modo suffocantur. Quod autem ibi positum est: *quæ manibus non tolluntur, sed igni succensæ comburentur vsque ad nihilum:* consuetudo Ordinis nostri obseruat. Nam cum aliquid proprij ad lectum monachi fuerit repertum, non tollitur, vt reseruetur: sed in ignem mittitur: vel mortuo consepelitur. Monachus habens obulum, non valet obulum.

Exemplũ seuerum & iustum. Abbas Nicolaus de Hersenhusen fratrem suum carnalem suæque domus monachum, propter vnum obulum, qui inuentus est circa eum, cum moreretur, extrà cœmiterium sepeliri fecit, atque eundem obulum super eum iactari: cunctis clamantibus, pecunia tua tecum sit in perditionẽ. Cumque de hoc facto argueretur; vtpote de inhumanitate, respondit: Si saluatus est, vel saluandus; non poterit ei hæc iniuria obesse: sed magis prodesse. Quod si dãnatus est; cœmiterium nihil illi proderit, sed magis nocebit. Ad terrorem aliorum hoc feci. Proprietatis vitium claustralem separat à comunione iustorum.

Fructus spinarum valde amarus est: exprimens amaritudinem pœnæ proprietariorum: tam in præsenti, quam in futuro. De præsenti eorum pœna sanctus Benedictus sic dicit. *Lecti monachorum frequenter ab Abbate scrutãdi sunt. propter opus peculiare, ne inueniatur. Et si cui inuentum fuerit, quod ab Abbate non acceperit: grauissimæ disciplinæ subiaceat.* De futura vero pœna dicit: *Memorentur Ananiæ semper & Saphiræ: ne forte mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti in anima patiantur.* Pœna grauis.

Et vt sciamus hoc vitium non solum intelligendum esse de rebus exterioribus, sed etiam de voluntatibus, iterum dicit. *Præcipue hoc vitium radicitus amputetur de monasterio: ne quis præsumat aliquid dare aut accipere sine iussione Abbatis: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates licet habere in propria voluntate.* Sicut maius est, & Deum plus in monachis diligere speramus, abrenunciationem propriæ voluntatis, quam proprietatis: ita timemus, quod magis in illis puniat propriam voluntatem, quàm pecuniam. h *Beati*, inquit, *pauperes spiritu.* Ecce, non beatificat Dominus pauperes Sunt proprietarij in voluntatis suæ vsu. h Matt. 5.

 sub-

substantia exteriori, sed spiritu: quia auarus etiam si foris nihil possideat; coram Deo diues reputatur.

In cœlo est cômunitas

Duæ sunt generales Abbatiæ: cœlestis scilicet, & infernalis. In cœlo Abbas est Christus: in inferno vero diabolus. In Abbatia Christi omnia omnibus cômunia:& quod vnusq isque minus habet in se, in altero se gaudet habere. Gaudium vnius, gaudium est alterius. In Abbatia diaboli proprium est: quia pœna vnius non est ibi pœna alterius: & cum vni pœna accedit, per hoc nihil a'ij in tormentis accrescit vel decrescit. Sequitur:

In inferno proprietas

Quod autem in terram bonam, subaudi *cecidit: hi sunt. qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent; & fructum afferunt in patientia.* Magna virtus est patientia: quæ fructus operum nostrorum ad maturitatem perducit. De qua alibi dicitur Apostolis: f. *In patientia vestra possidebitis animas vestras.*

f. Luc. 21. 19.

Exemplû. Patientia saluat.

Frater quidam, cum vicinus esset cuidam magno seni, & frequenter illi sua raperet; senexque videret & taceret; plus solito manibus operari cœpit dicens: Credo opus habeo fratre isto. Cum autem mori cœpisset, & fratres eum circumstarent; respiciens in eum qui furabatur, dicit ei: Iunge te huc ad me. Et tenuit eum: & osculatus est manus eius, dicens: Gratias ago manibus istis, fratres: quia propter ipsas vado in regnum cœlorum. Ille vero ex patientia senis compunctus, factus est probatus monachus. Ecce quantum boni operetur patientia.

Per hanc monachi martyres efficiantur: per hanc victores coronantur. *Patientia*, teste Iacobo, g *perfectum opus habet.* Hanc in corde seruemus, hanc in opere demonstremus: vt per eam fructum centesimum, qui martyrio debetur, messionis tempore percipere valeamus in æternitate. Quod nobis præstare dignetur Dei Verbum *Iesus* Christus Dominus noster: qui viuit, & regnat per infinita secula seculorum. Amen.

g. Iac. 1. 4.

DOMINICA IN QVINQVAGESIMA
Secundum Lucam. Cap. 8.



IN illo tempore: *Assumpsit Iesus duodecim discipulos suos & ait illis: Ecce, ascendimus Hierosolymam: & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM Lectione.

Sermo. XI. *De meditanda Christi passione, præsertim practice à Religioso Cisterciensi.*

CONsiderate, fratres dilectissimi; quanta sit circa electos charitas Christi. Voluit discipulos participes fieri suæ ignominiæ; vt dignius participare possent eius gloriæ. Nos vero si veri Christi discipuli esse voluerimus; veros eius discipulos in hoc imitari debemus. Ecce, a *nobiscum est vsque ad consummationem seculi:* ascendamus cum illo Hierosolymam. Et quia nobiscum spiritualiter est: spiritu nobis ascendendum est.

a. Mat. 28. 20.

Scimus duplicem esse ascensum: corporalem, & mentalem. Corporeus ascensus fit gressibus pedum: mentalis vero passibus cogitationum. Ascendere in altum, scandere est. De ascensu mentali dicitur in psalmo: b *Ascensiones in corde suo disposuit.* Qui veri disci-

Ascendendû mête in passione Christi.

b. Psal. 83. 6.

discipuli sunt *Iesu*, non semel, sed frequenter corde ascendere debent in Hierusalem, & meditando peruagari loca in quibus irrisus, pœnisque varijs affectus est *Iesus*; crucem etiam eius, & mortem. Valde salutaris est ascensus iste. Nec mirum. Fit enim præsente *Iesu*: qui interpretatur Saluator, vel Salutaris. Ipsa siquidem passionum eius recordatio, pacis visio est. Per ipsum reconciliatus est mundus Deo. Ipse est verus Pacificus qui per sanguinem crucis suæ c. recōciliauit ea, quæ in cœlis sunt, & quæ in terris.

c. 2. Cor. 5. 18.

Hierusalem interpretatur visio pacis. Ad templum Salomonis, qui interpretatur pacificus, quindecim gradibus, vt fertur, ascendebatur. d. Plus quam Salomon hic, de quo nobis sermo est. Templum corpus suum esse ostendit, quando dixit ad Iudæos: e. *Soluite templum hoc, & ego in triduo resuscitabo illud. Hoc autem dicebat* teste Euāgelista, *de templo corporis sui.*

d. Mat. 12. 42.

e. Ioan. 2. 19.

Per XV. gradus illius.

Videamus ergo nunc, si hos quindecim ascēsionum gradus in Christi passionibus reperire valeamus. Non sine causa Dauid quindecim cecinit Cantica graduū. Commemorant nobis Euangelia, pecuniam, qua vēditus est; vincula, quibus ligatus est, falsa testimonia, irrisiones, sputa, velationem, colaphos, alapas, purpuram, flagella, coronam spineam, arundinem, nudationem, crucem, clauos, acetum. His instrumentis vsi Iudæi gradatim ascenderunt ad destructionem templi corporis Dominici.

Compatiendo passio

Nos vero Christo compatiendo per eosdem gradus ascēdere debemus per cogitationē: ita pœnas, quam pœnarū instrumenta percurrendo. Cum Saluatorem meum triginta argenteis à discipulo venditum cogito: primum gradum ascendo. Item si eundem à ministris sacerdotum tentum, tractū, atque ligatum recordor, altius scando: & quasi in gradu secundo gressum mentis figo. Sicque de cæteris. Beati qui sic ascendunt, quia f *reuera dabit eis benedictionem legislator, vt eant de virtute in virtutem, donec videant Deum Deorum in Syon.*

f Psal 83. 7.

Exemplū Lacrimantis ter quotidie ob peccata, passionem, gloriam.

Sic ascendere consueuit bonæ memoriæ VVilhelmus Conuersus noster: qui nuper defunctus est. Nam sicut ipse moriens Abbati suo confessus est, tribus vicibus in die lacrimas fundebat. Primo ex memoria peccatorum suorum: secundo ex consideratione dominicæ passionis: tertio ex desiderio patriæ cœlestis. Quicquid enim cogitare nouerat, vel poterat de Christi tormentis, mente percurrebat: de quo tantam sensit dulcedinem, ac si fauum mellis in ore seruaret. Vniuersa hæc quæ enumerauimus de filio hominis per Prophetas erant prædicta: quæ nos in illo credimus consummata. Sequitur:

Factum est cum apropinquaret Hiericho, cæcus quidam sedebat iuxta viā mendicans. Hiericho quod interpretatur luna, vel candor, vel odor eius, præsentem mundum exprimit: qui ad instar lunæ, alijs morientibus alijsque nascentibus, crescit atque decrescit. Candor lunæ gloria & prosperitas vitæ sæcularis est: quæ dum quidā nimis attendunt, cæci fiunt. Quod se sanctus Iob cauere testatur: cum se negat g. vidisse lunam incedentem clare. Valde instabilis est splendor lunaris: quia nunc crescit, & in proximo momento decrescit.

Gloria mundi instabilis.

g. Iob. 31. 23.

Vbi

Vbi sunt, qui ante nos fuerunt Reges, Principes, & inclyti terræ? Admodũ quidem erat gloria illorum parens: & in puncto temporis defecit.

Sæculares, sunt cæci. Tales designati sunt per cæcũ Hierichuntinum: in quo quatuor sunt notanda: cæcitas, mendicitas, sessio, & hoc iuxta viam. Duo præcedentia causa fuerunt duorum sequentium. Sedit, ne ambulando offenderet: iuxta viam, vt aliquid a prætereuntibus acciperet. Iuxta viam sedet; qui fidem operibus non sequitur. Cæcus est, qui charitate caret: mendicus,
h Isa. 33. 6 qui diuitias salutis non habet. h. *Diuitiæ salutis sapientia & scientia: timor Domini ipse thesaurus eius.*

Petant à Christo, qui lux. Tales habet Iesus diuitias; qui interpretatur salus: & ab ipso petendæ sunt. Quod charitas lux sit, testatur
i 1. Io. 2. 10 Apostolus Iohannes dicens: i. *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet: & scandalum in eo non est.* Hic sine offendiculo ambulare potest. Vnde & Paulus nos hortatur ambulare in chari-
ij 1. Ioh. 3. 15. tate. ij. *Qui autem odit fratrem suum, in tenebris est, & in tenebris ambulat: & nescit quo vadat: vel vbi corruat.* Huic expedit, vt sedeat; & clamet ad
k Prou. 4. 19. Iesum, qui dicit: k *Ego sum lux mundi.*

Si obtutus oculorum diutius in splendorem lunæ defigatur; obtenebrescunt. Vnde ergò vitium ambitionis, fraudis, rapinæ, & inuidentiæ, alienæ felicitatis; nisi ex appetitu & contuitu gloriæ temporalis? Luna frequenter eclipsat Solem: & prosperitas temporalis charitatem.

Petant à discipulis Christi preces, qui ducant ad Iesum. In hoc tamen præfatus cæcus prudenter egit, quod iuxta viam sedit: quia per viatores ad Iesum totius salutis auctorem, est adductus & illuminatus. Sic in sæculo multi hodie peccatores sunt; qui, licet bene viuere non possint; eis tamen, qui benè viuunt, & Christum sequũtur nudi, & expediti, familiares sunt; eorũ orationibus se commẽdãtes. Per quos frequenter adducuntur ad Iesum voto conuersionis: & ab illo illuminantur per charitatem.

At cognati eos increpant. Hi, qui cæcum clamantem increpant, cognati sunt & amici, dignitates, honores, diuitiæ, curæ sæculares, carnisque voluptates: qui multum desideria retardant. Quorum voces turbidas atque nociuas viri prudentes contemnere debent: & multo magis clamare in oratione: *fili Dauid, miserere nobis.* Quasi dicant: Nisi in manu potenti & brachio extento adducti fuerimus; te sequi non poterimus, omnia quæ huius mundi sunt relinquẽdo. Dauid enim, interpretatur manu fortis.

Mortis & inferni memoria ducunt ad Christum. Possumus etiam non inconuenienter eos qui missi sunt ad ducendum cæcum, intelligere memoriam mortis, & timorem gehennæ: quæ multis causa sunt salutis. Multi enim sunt propositũ habentes conuersionis: qui quotidie ad Iesum clamant in oratione, conuersionis eiusdem propositum producere volentes ad effectum, nec possunt. Quibus dum ad cor mittitur memoria mortis, & pœna gehẽnæ pro peccatis; nonnunquam ita terrentur, vt moras vltra nectere non possint.

Stans Iesus, iussit eum adduci ad se. Iesus quasi transit: cum conuerti volentem promouere dissimulat. Stat autem, desiderũ eius implendo. Cui cæcus appropinquat, Ordinem suscipiẽdo. Talibus per Psalmistã dicitur: l *Accedite ad eum, & illuminamini.* l Psa. 33. 6

Quid vis inquit tibi faciam? Ac si dicat: Modo pete, quod vis, & accipies: dignus es exaudiri. At ille dixit: *Domine vt videã.* m *Illumina oculos meos ne vnquam obdormiam in morte: quoniã apud te est fons vita, & in lumine tuo videbimus lumen.* Sine lumine charitatis impossibile est lumen cōtemplari diuinitatis.

m Ps.12.4 Petenda lux charitatis.

Mox ea redditur.

Et dixit illi Iesus: Respice. Fides tua te saluum fecit. Respice, id est, iterum vide: qua lumen, quod virtus baptismi intus accendit, & peccatum extinxit: fides tibi restituit. *Et confestim vidit & secutus est illum: magnificans Deum.* n. *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris: sed habebit lumen vitæ,* dicit Dominus. Tenebræ, quibus acies mētis obcæcatur ne Christum possit videre, eumque sequi per semitam iustitiæ; vitia sunt tam corporalia, quã spiritualia. De his tenebris dicitur in Psalmo. o. *Deus meus illumina tenebras meas.* Bene ac plenè se illuminatum ostendit, qui post tenebras superbiæ, iræ, inuidiæ, tristitiæ, auaritiæ, gulæ, luxuriç, IESVM, qui lux est vera, sequitur: eum imitādo per semitas humilitatis, mansuetudinis, charitatis, spiritualis lætitiç, paupertatis voluntariæ, parcimoniæ, continentiæ.

n Ioa.8.12

o Ps.17.29 Vide sequela post Christum.

Et omnis plebs vt vidit, dedit laudē Deo. Quando personæ sæculares eos, quos aliquando nouerant in sæculo fornicatores, adulteros, incestuosos, prædones, vsurarios, ebriosos, conuersionis gratia illuminatos IESVM in monasterio sequi vidēt per angustas semitas disciplinæ ad supernam Hierusalem; Deum laudantes dicunt: *Tu es Deus qui facis mirabilia.*

Inde admiratio de conuerso.

Practica religiosa.

Nunc, fratres Charissimi, recurramus ad ea, quæ prędicta sunt, Christi tormenta. Sequamur illum nō solum ad templum Salomonis; immò etiam in prætorium Herodis. Vtrumque est apud nos: Oratorium scilicet, & Capitulum. In illo quotidie Iesus à nobis hymnis, psalmis, & canticis spiritualibus laudatur: in isto, quasi in prætorio, excessuū nostrorum causæ dijudicantur.

Sequendus Iesus in oratorio.

Quoties de Oratorio præcedente Abbate ad Capitulum ascendimus, & cogitamus diligenter de commissis & omissis, non solum de proprijs, imò etiam de alienis: hoc est, quod in Capitulo sit confitendum, quodve proclamandum; quasi cæcus in via illuminatur. Quia cęcitas mentis sunt oblivio atque ignorantia.

Inqu. Capitulum.

Ne autem in iudicio Capituli ad impatientiam prolabamur; sanctorum passiones nobis ibidem legūtur. Quod si aliquem fortassis stare grauat in iudicio coram Abbate, Priore vel Subpriore: cogitet Christum stetisse in iudicio iniusto Annæ, Cayphę & Herodis. Ne proclamatus impatienter respondeat, vel procaciter se excuset: rursum cogitet IESVM ad irrisiones, blasphemias, falsaque testimonia nihil respondisse. Quod si fuerit ab Abbate pro suis culpis correptus: IESVM cogitet velatum, colaphis alapisque iniuriatum. Non confundatur ad modicum se nudare disciplinam, si iussus fuerit: quia IESVS toto corpore ad flagella se nudari permisit. Quem si fortè aliqua verberum acredo grauat; attendat flagella IESV, arūdinem, spinas, clauos, lanceã. Quod si positus fuerit in leui culpa, vel in vltimo loco: IESVM cogitet cū iniquis deputatum. Quod si missus ad

Hic passio Christi sit prę oculis practicè.

 portam

portam fuerit, & hoc ipsum æquanimiter ferat: quia non solum IESVS extra portam ciuitatis est ductus: sed etiam in locum Caluariæ deductus. Quod si iussus fuerit ieiunare in pane,& aqua: Iesum cogitet in cruce felle cibatum,& potatum aceto. Notate fratres,quod Dominus in exordio huius sacræ lectionis non solum suā passionē, sed & resurrectionē discipulis prædicere curauit, vt dolorem,quem habituri erant ex eius morte, gaudia subsecutę resurrectionis temperarent.

Et tertia die resurget. Prima die,hoc est sexta feria occisus est: secunda die quieuit in sepulchro:tertia die resurrexit. Prima dies significat in nobis diem culpæ: secunda, id est, Sabbathum,diem gratię:tertia,scilicet Dominica,diem gloriæ. Quo nos illustrare & beatificare dignetur Dominus noster Iesus Christus: qui est verus sol iustitiæ & splendor glorię:cui cum Patre & Spiritu sancto decus sit & imperium per infinita sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA PRIMA IN QVADRAGESIMA,

Secundum Matth. Cap. 4.


In illo tempore: Ductus est Iesus in desertum à Spiritu: vt tentaretur à diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus,& quadraginta noctibus postea esuriit. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XII. Satis nobis presenti sancti Euangeli, lectione ostensum est, à quo, vel ad quid Saluator noster ductus sit in desertum; sed min s patet, quā do vel de quo loco eadem facta sit deductio. Quod si recursus fiat ad superiora; occurret vtrumque; tempus scilicet,& locus: hoc est, q .ando baptizato eo in Iordane à Iohanne aperti sunt super ipsum cœli, a. & *vox patris audita est: hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui.* Statim, vt ait Marcus, expulit eum spiritus in desertum. Lucas sic dicit: *Iesus plenus spiritu sancto regressus est à Iordane; & agitabatur à spiritu in desertum.* Primus Euangelista testatur eum a spiritu ductum,sequens expulsum, tertius agitatum.

De Baptismo contritionis: deque tentatione triplici.

a Mat. 17. 5.

Ego æstimo per hoc desertum corporale,aliud desertum spirituale esse intelligendum, cuius habitator Iesus fortè tā ardenter desiderat. Verè fratres,ita est.Omnia enim quæ tunc tēporis IESVS agit visibiliter in de erto;quotidie act tare nō cessat in corde humano.Ibi baptizatur,& in desertū ducitur;ibi ieiunat; & tētatur. Nouimus esse baptismū cōtritionis;quo b. Dauid per singulas noctes,id est, peccata lauat lectū suū, id est,cōscientiā. Hoc baptismo Maria Magdalena baptizata est ad pedes IESV aquis lacrymarum: quibus & pedes illius lauit, & criminum suorum sordes deleuit. Quando peccator Dei gratia pro peccatis suis conteritur: Iesus in mente illius à Iohanne baptizatur. Iohannes interpretatur gratia Dei. Baptismus iste celebratur in Iordane, qui interpretatur descensus eorum quia per virtutē contritionis p. ccata descendunt in profundum diuinæ obliuionis. Vbi etiam Pharao cum exercitu suo mergitur; diabolus scilicet cum

b Psa. 6. 7.

Baptismus est contritionis.

cum vitijs suis. Hic est baptismus virtuosissimus: de filijs iræ filios efficiés gratiæ.

Quo expleto, statim à spiritu sancto Iesus ducitur in desertú, scilicet cordis secretum, à cunctis vitijs derelictum. Manet tamen ibi peccati fomes, etsi non actus; ob custodiam humilitatis; & ne materia careat exercendę virtutis. Per contritionem meretur peccatorum quis remissionem; virtutumque infusionem. Gratia tanta olim animæ peccatrici per Oseã Prophetam à Domino promissa est. *Adducam*, inquit, *eam in solitudinem, & loquar ad cor.* Solitudinem hanc intelligimus peccatorum immunitatem: quã cordis sequitur Sabbatismus, eò quod nullus ibi sit vitiorum tumultus. Ibi loquitur ad cor post mentis contritionem; oris suadens confessionem. Et quod dicit: d. *Reuela Domino viã tuam, & spera in eo, & ipse faciet. Et educet quasi lumen iustitiam tuam.* Hoc est quod sequitur in Osea: *Et dabo ei*, inquit, *vallem Achor ad aperiendam spem.* Achor interpretatur humilitas eius. Per humilem confessionem aperitur spes vitæ: & educitur lumen iustitiæ.

Ibi fit remissio peccatorum & spes.

c *Ose. 2.14*

d *Psal. 36.5.*

Cum ductus esset IESVS in desertum, mox Euangelista subiunxit causam dicens: *vt tentaretur a diabolo.* Hoc fratres notate. Nos vero tentationem fugimus; etiam locum, in quo tentari timemus pertimescimus. Nescimus enim quo spiritu ducamur in tentationem. Legimus quatuor esse spiritus rationales: diuinum, angelicum, humanum, diabolicum. Vt enim taceam de spiritu maligno, cuius intentio semper mala est: necnon & de spiritu humano, cuius intentio ambigua est: Moyses ingressurus terram Chanan eorum, Iebusæorum aliarumque gentium hostilium, spiritum angeli cum ducem renuit, dicens: Si non tu ipse præcedis; ne educas nos de loco isto. Vbi dux spiritus diuinus est, ibi certissimum de hoste victoria est.

Spiritus est quadruplex.

Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Quadragenarius numerus est pœnitentiæ. Sicut enim idem numerus cum suis partibus constitutus insurgit in quinquagenarium, id est, in iubilęum: ita per veram pœnitentiã plenam omnium meretur quis remissionem peccatorum. Contritio peccatum delet quoad culpam: satisfactio exterior, quoad pœnam. Quãtò quis Dei gratia malitiam à se perpetratam in se punit: tantò plus iustitiã esurit. Sciens autem diabolus, e. beatos esse qui esuriũt & sitiunt iustitiam: accedens per prauam suggestionem, dicit pœnitenti:

Numerus pœnitentialis.

Ardor pœnitentiæ est sitis iustitiæ.

e *Matt. 5.*

Si filius Dei es, id est, *gratiæ: dic vt lapides isti panes fiant.* Teste beato Gregorio, eodem ordine diabolus aggressus est secundum hominem, quo & primum. In tribus primum hominem tentauit: per gulam, per inanem gloriam, per auaritiam. Per gulam, cum dicit: f *in quacumque die comederitis.* Per inanem gloriam: cum subiunxit; *eritis sicut dij.* Per auaritiam, cum conclusit: *scientes bonum & malum.* Est autem auaritia scientiæ, per quam multi hodie ditantur.

Qualis primi Adæ tentatio in tribus.

f *Gen. 2.*

Continuemus ergo tentationem protoplasti tentationi CHRISTI. Ait enim diabolus: *Si filius* DEI *es, dic vt lapides isti panes fiant:* Ecce gula. *Si filius* DEI *es, mitte te de-*

Talis & Christi.

te deorsum,&c. Ecce superbia. *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me*: ecce auaritia.

Consideremus nūc, Fratres Charissimi, qualiter his tribus tētationibus aggrediatur nos, qui membra sumus Christi. Monasteriū similitudine quadam dicitur desertum: eò quod in locis desertis frequentius construatur; & respectu multitudinis, à paucis inhabitetur. Quando contritus, desertis vitijs, monasterium petit; tentator illum non deserit: sed acrius insequitur fugientem. Quem vt viderit post ieiunium Quadragesimale, id est, abstinentiam atque pœnitentiam eorū, quæ illicite commisit, in die prosperitatis, & in nocte aduersitatis esurire per desiderium patriæ cœlestis; offert ei lapides, id est, duras, aridas & infructuosas de transactis gulæ illecebris cogitationes: reducēdo ei ad memoriam diuersi generis carnes & pisces, ciborumque delectabilium præparamenta, quibus voluptuose vesci solitus erat in sæculo. Et quid dicit? *Si filius Dei es*, dic, id est, consenti, *vt in hu tua sit delectatio*. In quacumque re mēs delectādo pascitur; hoc ei cibus est. g. Tales panes cōfecit filijs Israel in deserto: h. tales obtulit Mariæ AEgyptiacæ in Eremo. Sed illi comedēdo perierunt: ista respuēdo victoriam obtinuit. Huiusmodi panes frequēter diabolus religiosis offert; nūc dormitantibus, nunc visibiliter, nunc inuisibiliter. Quosdam vincit: a quibusdam vincitur.

Talis & religiosi.

1. Gula.

g *Psa.* 77. 24. & *Ps.* 104. 16.

h *Apud Su*. *to.2. die 9 Ian.*

Exemplū tētati gula

Non est diu, quod monachus quidā apud nos defunctus est, Arnoldus nomine, Coloniæ in Ecclesia sanctorum Apostolorum Canonicus. Iste mihi referre solebat, quod circa principium conuersionis suæ multum per gulam, non solum de cibis, quibus vtebatur in sæculo, cogitando; sed etiam cum leuiter dormitaret in choro, tentaretur. Fuerat enim ante conuersionem vir diues, & delicatus valdè. Sæpe cū ex Psalmodia lassus stās oculos clauderet; scutellam carnibus plenam ante os suum sensit: de qua more canino, vt sibi videbatur, comedit. Cumque sic bestialiter comedere erubesceret, caput quandoque retraxit, durè satis illud illidens parieti.

Diabolus pessimus vitricus est: in oratione i. petentibus panem, offerēs lapidem. Cui monachus respondere debet: *Non in solo pane viuit homo: sed in omni verbo quod procedit de ore Dei*. Quod & verum est. Quomodo viri olim in sæculo delicati pane furfureo viuere possent, si non illos pasceret dulcedo sacræ lectionis, Psalmodiæ, Canticorumque spiritualium? De huiusmodi ferculis Dauid dicit in quodam loco. k. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua: super mel ori meo*.

i *Lu.* 11. 11.

Sed dulcedine spiritali superā.

k *Psa.* 118.

Tunc assumpsit eum diabolus in sanctā ciuitatem: & statuit eum super pinnam templi & dicit ei: Si filius Dei es, *mitte te deorsum. Scriptum est enim: quia angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus vijs tuis*. Quando diabolus nos vincere per gulam nō potest: sociam sibi assumit inanem gloriam. Per templum aliquando intelliguntur hi, qui in templo deseruiunt Domino: vt continens ponatur pro contento. Vnde Dominus per Ezechiel dicit: l. *A sanctuario meo incipite* Dicit & Apostolus credentibus. m. *Nescitis quia templum* Dei *estis, & spiritus Dei habitat in vobis? Si quis autem templum Dei violauerit: disperdet illum Deus.*

Homo est templum Dei.

l *Eze.* 9 6

m 1. *Cor.* 3 16.

Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos.

2. Tentatio superbiæ.

Prima templi eminentia sanctitatis est. Quando monacho propter vitæ sublimitatem, siue alicuius gratiæ prærogatiuam, per immissas cogitationes, quod cæteris fratribus sanctior sit, suggeritur: quasi à diabolo supra pinnam templi statuitur. Quod si in eisdem cogitationibus delectatus fuerit & ita esse crediderit: deorsum se mittit. n *Ante ruinam exaltatur cor.* Diabolus interpretatur deorsum fluens. Et merito. Nam o. *secundum nomen eius; ita & consilium eius.* Notate fratres, quod non dicit assertiue, *ne offendas*: sed dubitatiuè, *ne forte offendas*: vt efficacius suadere possit. Angeli sancti superbè ruétem non excipiunt; sed potius Angeli ma'i eundem, vt grauius cadat, impellunt.

n. Pro. 16. 18.

o. Ec. 2. & 46.

Vnde qu dam sanctorum vt legitur, cum ob inanem gloriam propter virtutes & miracula, quæ faciebat, de pinna sanctitatis deorsum ruere timeret; maluit in corpore suo à tentatore ad tempus horribiliter vexari quam de culmine meritorum periculosè præcipitari. Vnde sanctus Benedictus suadet monacho, non velle dici sanctum, antequam sit, sed prius esse, vt verius dicatur.

Exemplū. *Vide parte I. Homil. in die Innocentum.*

Puto lapidem hunc offensionis esse luxuriam, quam diabo'us vitari suadet per superbiam: cum illa sæpè pœna sit istius. Per vitia enim carnalia, a'iquando Deus vitia punit spiritualia. Hinc est quod quidam iustorū cum propter superbiam, ex virtutibus ortam, fornicationem incurrisset; beatus Antonius casum illius in spiritu cognoscens tristis ait: Hodie ruit maxima columna Ecclesiæ. Cuius tanta extitit ruina; vt inducias tātum decem dierum peteret, nec obtinere posset. Quanto gradus altior, tanto casus grauior. Nequaquam hunc Ange'i, per liberum arbitrium cadentem, in vijs tanti dispendij custodire per suggestionem, vel manibus tollere pij auxilij, ne offenderet ad lapidem luxuriæ, pedem consensus, valuerunt. Sicut Angeli mali non possunt nobis vim inferre, vt malo consentiamus: sic nec Angeli boni vt bonum faciamus.

Superbia aliquando punitur per luxuriam.

Exemplū S. Athanasius in vita ipsius apud Surium.

Angeli adiuuant volentes.

Vnde religiosus quisque diabolo præcipitium suadenti, cum Iesu, cuius membrum est, respondere debet: Scriptum est, *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Ac si dicat: Quidquid bon[i] in me video, non mihi, sed Dei gratiæ illud ascribo. Ab ipso enim & velle, & posse est. Non ergo in me tentes gratiam operantem: quia illa me deorsum ruere non sinet, per voluntaté immissæ superbiæ consentientem.

Iterum assumpsit eum diabolus in montem excelsum valde & ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dicit ei: Hæc omnia tibi dabo: si cadens adoraueris me. Quia nouit diabolus funiculum triplicem difficile rumpi, gulæ, atque inani gloriæ auaritiam nectit: quæ multos non solū sæcularium; sed & claustralium idololatras facit. p. *Auaritia*, teste Apostolo, *Idolorum seruitus est.* Domum coniungere domui, & agrum agro copulare species est idololatriæ: si tamé necessitas non fuerit in causa sed auaritia. Bene idololatriæ auaritia cōparatur: quia vix aliquod vitium est, cuius actus obtinet: pecunijs non possit. Qui ergo propter diuitias vitia perpetrat, vel affectat; diabo'um in

Tertia tétatio est auaritiæ.

p. Col. 3. 5

Quæ est idololatria

 illis

illis adorat. Sunt & aliæ species auaritiæ, honoris scilicet, & potentiæ, atque scientiæ appetitus: per quam multi ditantur, sicut Legistę & Decretistæ iurisque periti. Qui ad hoc tantum scientiæ discendæ dat operam vt per illam diues, & honorabilis fiat: idolum in Ecclesia adorat. Discere propter lucrum Simonia est: quòd nó solum pertinet ad legisperitos, immo magis ad Theologos, qui ob hoc discunt sacram Scripturam, vt illius beneficio promoueantur in Scholasticos, Decanos, & Episcopos. Hæc omnia diabolus dat, cum tam fœda intentione conquiruntur. Omnia regna mundi, diuersæ dignitates sæculi sunt.

Casus cō scientiæ

Quia vobis, fratres, loquimur; quomodo ad vos verba ista pertineant cōsiderare necesse est. Monachus, qui propter hoc tātum lectioni vacat vt verbum Dei in capitulo proponere sciat, sperans se per hoc in Priorem siue Abbatem prouehi: cadens retrorsum idolum adorat.

Auaritia ambitiosa

Cum quidam Abbas Ordinis nostri monachos suos iuniores in Capitulo, me audiente, cu'paret; eò quod ad cantum suum discendum minus operam darent, ironice subiunxit: Vos Domini tantum legitis glossas: & vbi sunt omnes Abbatiæ istæ quas habituri estis? Quasi diceret: Ad hoc tātum scripturas discitis: vt propter scientiam fiatis Abbates. Licet scientia Prælatis plurimum sit necessaria; vsus tamen malus esse poterit, & reputari in Sathan.

Exemplū exprobrātis ambitiosorum studium.

Vnde monachus diabolo talia suggerenti respondere debet: *Vade retro Sathanas. Scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Sathan interpretatur aduersarius. Licet pestifera diaboli persuasio saluti nostræ sit contraria; in hoc tamen ei deseruire creditur, cum quod vitiosum est, reprimitur. Victori ædebetur corona. Quid scit, vt alios ædificet, plurimum promeretur: quia scriptum est: *Qui autem docti fuerint fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates.*

Dan. 12.

Caueat ergo monachus ne idolum ponat in monte Dei, id est, in mente sua; quia nihil in creaturis excelsius est; dignitates temporales audius appetendo, vel quod periculosius est, vt ad illas promoueatur arte viciosè procurando. Quantum in hoc sit periculum, damnum, atque meritorum dispendium; subnexum declarat exemplum.

Studere, vt promoueatur, is malum est.

Prior quidam in quadam domo ordinis nostri, Abbate suo defuncto, ad Abbatiam nimis ardenter aspirans senioribus dicebat: Cum multæ sint inter nos personæ ad officium hoc satis idoneæ; non est nobis honestum, si extra domum nostram elegerimus Abbatem. Satis ei constabat, quod non aliam, præter suam, eligerent personam. Quid plura? Consilio eius consenserunt omnes; talique intentione atque ordinatione factus est Abbas. Qui cum postea ad quandam sanctissimæ vitæ inclusam venisset, & diceret: roga Deum, vt tibi reuelet, vtrum mihi expediat manere in hoc officio, nec ne; abijt illa & orauit: rediit, & ait: Nequaquam in Abbatia ista saluari poteris. Quare, inquit? Respondit illa: quia Simoniace intrasti. Ad quam Abbas: in hoc mihi conscius non sum. Dicente illa, tali, &

Exemplū ambitiosi id est, si monachi.

Non valēs saluari in prælatura.

li & tali modo egisti: Abbas considerans totum Deum suæ conscientiæ testem fuisse, culpam humiliter confessus est. Qui statim patrem Abbatem adiens, quid egerit, quidve audierit, reuelauit: magisque volens perdere Abbatiam, quam animam; quousque absolueretur, non cessauit. Hæc mihi à Domino Karolo Abbate Villariensi, cui res innotuit, recitata sunt. Sequitur:

Ergo dimittit eā.

Tunc reliquit eum diabolus: & ecce, Angeli accesserunt, & ministrabant ei. Hoc in loco Marcus inserit cohabitationem Iesu cum bestijs: quod indiscussum præterire non debemus. Ait enim s. *Et erat in deserto quadraginta diebus & quadraginta noctibus: & tentabatur à sathana: eratque cum bestijs.* Bestiæ sunt mores ferales; qui gratia mansuescunt. Recedente Sathana, tentatio cessat; & pax redit. Hoc nobis per prophetam Oseam à Domino promissum est. t. *Et percutiam,* inquit, *cum eis fœdus in die illo, cum bestia agri, & volucre cœli, & cum reptili terra.* In his tribus tria prædicta notata sunt vitia. Per bestiam agri auaritia: quæ plurimos vastat etiam vsque ad internecionem. Bestiæ dicuntur quasi vastiæ. Per volucrem notatur superbia: quæ natione cœlestis est. Per reptile, cuius venter in terra trahitur, gula, nec non & luxuria: quarum incitamenta insatiabilia sunt. Cum his fœdus à Domino percutitur; cum eorum motus per gratiam restringuntur. De his etiam per Iob dicitur. u. *Et omnes bestiæ agri erunt pacificæ tibi.*

s. *Marc.* 1. 13.

Tentationes tres eę sunt bestiæ.

t. *Osea.* 2. 18.

Has edomat gratia.

u. *Iob* 40. 15.

Et ecce Angeli accesserunt & ministrabant ei. Ministrauerunt Iesu Angeli sancti sicut filio Dei per naturam: ministrant & membris eius, vtpote filijs Dei per gratiam. x. *Nonne,* te te Apostolo, *omnes administratorij spiritus sunt, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capient salutis?* Notate quod nusquam in sacro Euangelio leguntur Angeli sancti Iesu ministrasse; nisi in hoc loco: vbi scilicet à diabolo tentatus, diabolum superauit. Hoc propter nos scriptum arbitror, vt intelligamus, quantus sit in tentatione prouentus. Sicut enim in duello militari commilitones de amici victoria tripudiant, sudorem illius extergentes: ita Angeli sancti, qui nostri sunt amici, & conserui, cum viderint in tentationibus nos superiores, glori e nostræ congaudentes Regi cœlorum labores victoriæ nostræ consignant. Abrahæ, post recessum obscuræ caliginis, promittitur terra viuentium: vt sciamus post deuictam tentationem nobis superesse regnum cœlorum.

Restitisse

tentationi meretur ministeria angelorum.

x. *Heb.* 1. 14.

Simile:

Legitur quidam ob victoriam modicæ tentationis septem meruisse coronas. Vnde fratres, cum nos impugnat caro, cum mundus, cum diabolus; stemus viriliter, pugnemus fortiter: quia Caput menbra non deseret: Rex milites non relinquet. Audite quid victori promittat. y *Vincenti,* inquit, *dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei.* Ad cuius esū nos perducat qui legitime certantes coronat Iesus Christus Dominus noster: cuius maiestas & imperium permanet in sęcula sæculorum. Amen.

Exemplū tentati coronati.

y. *Apoc.* 2. 7.

DOMINICA SECVNDA QVADRAGESIMAE.

Secundum Matth. Cap. 15.



IN illo tempore: Egressus Iesus venit in partes Tyri & Sydonis: & ecce, mulier de finibus illis egressa clamauit, dicens: Miserere mei, Fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM Lectione.

Sermo XIII.
De dæmonis venatione.
De homine capto.
De captiuis in limbo vt canibus.
a *Ezec.28*

DVæ istæ ciuitates munitissimæ in terra quidem promissionis erant sitæ: sed non poterāt eas filij Israel obtinere. Rex Tyri atque Sydonis diabolus est, cuius decorem in creatione: cuius culpam in prævaricatione: cuius pœnam in electione Propheta Ezechiel a. sub typo Regis Tyri diligentissimè describit. Manet eidem tyranno vsque hodie ciuitates istæ: vt per eas erudiatur verus Israel: si tamen, quid significent, attendatur.

Dæmon in mundo venatur, in inferno punit.

Sydon interpretatur venatio mœroris, vel mortis: Tyrus, tribulatio, vel angustia. Quos per Sydonem venatur & comprehendit; in Tyro diuersis pœnis afficit & affligit. *In Sydone* venatores suos habet cum canibus venaticis; veltribus scilicet, & leporarijs. Habet etiam ibi instrumēta venationi congrua: copulas, cornua, sagittasque toxicatas. Ibidem locauit & aucupes suos: Falcones & accipitres; retia, & muscipulas, cum cæteris instrumentis aucupationi necessarijs, ad capiendas animas. *In Tyro* autem habet tormenta sua, vincula, flagra, compedes, cippos, & carceres.

Per *venatores* designantur spiritus maligni: vitijs carnalibus superpositi. *Canes* sunt, ipsa vitia carnalia: gula scilicet, & luxuria; eorumque incrementa. Per *aucupes* expressi sunt spiritus illi maligni; qui vitijs spiritualibus sunt deputati. *Herodij* autē, nisi, & accipitres vitia sunt spiritualia: id est, superbia, ira, inuidia, tristitia.

In monasterii aucupatur per spiritalia.

Per illa venatur diabolus sæculares: per ista claustrales. Vbique periculum; nusquam securitas. Admittit carnalia carnalibus: spiritualia spiritualibus. Similia similibus cōgaudent. Possumus quidem canes arcere per ostia monasterij: non aues. Cum carnalia irritamenta fomentis carēt; citius deficiunt. Claustra nostra fœminæ non ingrediuntur: carnibus vesci non licet: pisces rarò videmus. Vitijs vero spiritualibus vniuersa ostia peruia sunt; & in semetipsis fomentantur.

Hominē vero persequitur

Consideremus ergo, fratres, quod sit animal tam spectabile, tam mirabile, tam concupiscibile; ad cuius venationem rex Tyrius tam multas acies producit. Puto quod homo sit, quem Deus b. *creauit ad imaginem & similitudinem suam*. Verè ita est. Ipsum siquidē in primordio creationis suæ inter ligna Paradisi pascentem, duobus canibus & vno herodio aggressus est. b *Gen.1.27*

Primum canem solutā copulā admisit; quādo dixit ad mulierem: c *Cur præcepit vobis Deus; ne comederetis de omni ligno paradisi.* c *Gen.2.16*

Re-

Falcone superbiæ.

Respon lente illa, *ne fortè moriamur*: herodium, id est, inanem gloriam de pugno soluens, gulæ sociauit: cum dixit: *Scit Deus in quocunque die comederitis ex eo, aperietur oculi vestri: & eritis sicut dij*. Auis hæc, quam & falconē dicimus, valde superba est; nec fertur in prædam, nisi prius ascendat.

Cane auaritiæ honorum.

Secundus canis accurrit: cùm gulę atq; inani gloriæ vitium accessit auaritiæ; sub promissione scientię boni & mali. Auaritia non solum est in pecunijs: sed etiam in appetitu scientiæ, & honoris.

d Gen. 10. 9. Sagittis sensuum.

Misit etiam post eam d. venator ille robustissimus sagittas toxicatas: id est, incitamenta sensuum exteriorum. Erant enim in eis, Adam scilicet & Eua, naturales motus concupiscentię: sed repressi & clausi, quantū ad vsum. *Videns*, inquit, *mulier quod bonum esset lignum ad vescendum & pulchrum oculis, aspectuque desiderabile: tulit de fructu eius.*

Et captus est homo.

Cumque his omnibus arctaretur simplex illa bestiola, tensum cucurrit in laqueum: de eodem ligno contra vetitum comedendo. Si non vidisset, si non tetigisset; non comedisset. e. *Deditque viro suo, & comedit*. f. *Vir nō est seductus sed mulier*. Fecit enim Adam sicut a quando fieri solet, cùm bestia comparis sui voce audita; amore illius in eundem se laqueum præcipitat. *Quorum mox aperti sunt oculi*, id est, concupiscentia & eius cognitio: & tunc primum intellexerunt se captos & illaqueatos.

e Gen. 2.
f 1. Ti. 2. 4

Eiectus que in angustias orbis aclymbi.

Qui mox de loco voluptatis eiecti; à Sydonijs in Tyrum, id est, in hūc mūdum satis miserabiliter sunt tracti. In quo multis angustijs & tribulationibus subacti, post mortem cum sua posteritate ad carcerem inferni sunt detrusi.

Huc vocatus venit Iesus.

Vbi dum quotidie clamarent, & clamando orarēt: g *Veni ad liberandū nos Domine Deus virtutum*: h *intret in conspectu tuo gemitus compeditorū*: multaq; in hunc modum: *egressus*. i à summo cœlo Dei filius per mysterium incarnationis, *secessit*, id est, à se misericorditer cessit, *in partes Tyri & Sydonis*; hominem cum suis pœnalitatibus assumendo: & cum hominibus homo k in terris conuersando. Et benè positum est: *in partes*: quia pœnam tātum, non culpam suscepit. Neque secessit in omnes partes pœnalitatis: quia ignorātia in eo non fuit. Ab ipsa enim hora conceptionis. l. *requieuit super eum spiritus sapientiæ, & intellectus, atque scientiæ*: Etiā quo ad vsum.

h Ps. 7. 11.
i Psa. 18. 7.
k Bar. 3. 38. Assumens pœnas nostras, præter ignorantiam.
l Isa. 11. 20

Chananæa fuit Eua.

Et ecce mulier Chananæa de finibus illis egressa clamauit dicens: *Miserere mei Fili Dauid*. Notate fratres. S. non esset valdè miraculosius mulier s hui egressus; non præmisisset Euangelista vocem demonstratiuam, *ecce*. Fortassis hæc est illa mulier, de qua supradictum est, Eua scilicet mater cunctorum viuentium; per venationem diaboli sub ligno paradisi capta atq; corrupta. Mulier, nomen corruptionis est. m *Sub arbore*, inquit, *malo suscitaui te: ibi corrupta est mater tua: ibi violata est genitrix tua*. Verba sunt sponsi ad deuirginatam. Cui & nomen Chananææ congruit. Interpretatur enim zelus eorū, vel gratiæ. Quorum, eorū? Dęmonorum videlicet: qui eam sunt venati ad culpam. Vel gratiæ, id est, Christi; qui zelo eius egressus est de sinu patris, vt captiuam, & corruptam restitueret integritati.

m Cāt. 8. 5. Mulier est vox corruptionis.

rò ſublato, quaſi deſolato populo, merito dicebat Dominus: *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*. Eſt ergo ſenſus huius reſponſionis: Oportet me primum pereuntes reuocare verbo prædicationis: deinde educere vinctos ſanguine meę paſſionis.

At illa, vinctorum exprimens deſiderium: *veniens adorauit eum dicens: Domine adiuua me*: x *quia ſpes, quæ differtur, affligit animam*. Et reſpondit ei: *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*. Canes, ſecundum prędictam expoſitionem, antiqui iuſti fuere; qui poſt multos labores, & opera iuſtitię, velut canes indignè, ad inferos detruſi ſunt. De quibus & in Pſalmo ſcriptum eſt. y. *Lingua canum tuorum ex inimicis ab ipſo*. Illi ſunt canes, qui contra canes Sydoniorum, gulam, ſcilicet luxuriam & auaritiam vſque hodie per ſcripta ſua terribiliter latrant.

x Pr. 13. 12

Iſti ad limbũ velut canes ſunt detruſi.

y Pſal 67. 24.

Panis filiorum Chriſtus eſt: qui dicit: z. *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi*. Panis angelorum in diuinitate: panis Angelorum in humanitate. Hinc Dauid dicit; a. *Panem angelorum manducauit homo*. Quod impletum eſt quando b *Deus homo factus eſt*. Vtrique filij: angeli ſcilicet, & Apoſtoli. De illis Chriſtus loquitur ad Iob. c. *Vbi erãt cum me laudarent aſtra matutina: & ambularent omnes: filij Dei?* De iſtis dicit in Euangelio: d. *filioli, adhuc modicum vobiſcum ſum*.

z Io. 6. 41.

Negatus eis eſt panis Angelorum.

a Pſal. 77. 25.

b Ioan. 1.

c Iob 38 7.

d Ioa. 7. 13

Quod præſentia eius viſibilis, ſiue deitatis, ſiue humanitatis, cibus ſit: teſtis eſt Dauid vbi ait: e. *Satiabor cum apparuerit gloria tua*. Ab vtraque viſione iuſti ante eius Aduentum propter noxam culpæ originalis, ad inferna canum, excluſi ſunt. Viderunt eum Patriarchæ & Prophetæ: ſed in ſubiecta creatura. Viderunt eum Apoſtoli, in humana natura. Hoc illis datum non fuerat, quibus & dicitur: f *Multi Reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt*. Quorum videndi ardorem exprimit, cum ait: *Non eſt bonum*, id eſt, diſcipulis meis beneplacitum: vt ipſis qui cotidie mea viſione, meaque doctrina reficiuntur, tam citò me ſubtraham, & ad inferos me deponam. *Sine prius filios ſaturari*.

Et prius datus eſt filiis gratiæ Apoſtolis & viatoribus fidelibus.

e Pſ. 16. 15

Illis interim cũ tame expectantibus.

f Lu. 10. 24

At illa dixit: *Etiam Domine*. Quaſi dicat: Diſcipuli tui iam ex parte te fruiti ſunt: & mox depoſito corpore plenius fruentur. Illi reuera, ſicut canes famelici, à multis millibus annorum famem paſſi ſunt tuæ beatiſſimæ viſionis. Quibus dum fuerit tuus aduentus nunciatus; reſpondent illud Iſaiæ: g *Manda, remanda: expecta, reexpecta: modicum ibi, modicum ibi*. Da illis aliquid.

g Iſa. 28. 10

Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de menſa dominorum ſuorum. Eoſdem vocat Dominos, quos Ieſus filios. Et meritò. Cum IESV ad menſam ſederũt Apoſtoli, vt Domini, vt filij; cùm Abrahã ſtetiſſe legatur h. coram Angelis, illiſque miniſtraſſe. Ille lauit pedes Angelorum: Ieſus i. pedes lauit diſcipulorum. *Catelli* ſunt prophetarum filij, & filiæ: vt Maria Magdalena, quæ ſub menſa IESV reliquias doctrinæ eius colligebat. Canes expelluntur: & catelli aduocantur.

Qua filii gratiæ ſunt domini, à cœtũ in vet. teſtamẽto.

h Ge. 18. 8.

i Ioan. 13.

Tunc reſpondens Ieſus ait illi: O mulier, magna eſt fides tua. Electorum animæ corporibus exutæ quam diu viſione Dei carent, ſupra viatores ſunt, & ci-

& citra comprehensores. Vnde & illorum fides, qui in sinu Abrahæ erãt, magna erat.

Fiat tibi sicut vis. id est, impleatur celerius desiderium tuum. *Et sanata est filia eius ex illa hora.* Non dicit: in illa hora; sed *ex illa hora.* quia modico emenso tempore, passus ad inferos descendit, & portas adamãtinas sanguine suo liniens & confringens; synagogam fidelem inde eduxit; omnem languorem eius curans, & à vexatione impij venatoris liberans.

Demũ descendit ad inferos, eosque cibauit.

Tentatio Euæ ad memoriam mihi reuocat tentationem cuiusdam mulieris; quæ, dum illa de inobediẽtia atque inconstantia quotidie iudicaret; turpius, etsi non periculosius illa cecidit. Erat enim vxor Henrici de Vvida, militis diuitis atque nominati. Quæ cum malediceret Euæ propter esum pomi, & ille diceret: ego tibi præcipiam quod minus est, & nõ custodies: respondit illa: Quod est præceptum illud? Dicente milite, ne paludem curiæ nostræ, cuius aqua putés est & fimosa, tantum illa die qua balneata fueris, non ingrediaris nudis pedibus: illã subridente, adiuncta est pœna quadraginta marcarum, quam solueret si inobediẽs foret: & per obedientiam à marito tantum reciperet. Quid plura? Acceptauit matrona vtrumque. Mox accessit tentator, in tãtum eam certis diebus ad ingressum paludis occultis suasionibus incitãs; vt die quadam separata comitãte pedissequa paludẽ intraret, & cũ multa delectatione concupiscẽtiæ suæ satisfaceret. Quod vbi maritus intellexit, vestimenta eius pretiosa tollens, cùm improperio alijs ea distribuit: sinẽs illam per aliquod tempus habere defectum.

Exemplũ nitentis Euæ in vetitũ & Euã arguentis. *Idẽ dial. li.4.ca.76*

Vnde fratres, quia nulli tentationi sine gratia Christi valemus resistere; cum muliere Chananæa auxilium ipsius imploremus: vt diaboli laqueis nos eripere & sanitati perpetuæ restituere dignetur ipse Dominus noster Iesus Christus: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EADEM DOMINICA

Secundum Matth. Cap. 15.



IN illo tempore: *Egressus* IESVS *secessit in partes Tyri & Sydonis.* Et reliqua.

HOMILIA MORALIS DE Eadem lectione.

SEcundum moralem intellectum, mulier hæc Chananæa designat animam humanam; per dæmones varijs vitijs corruptam. Interpretatur autẽ *Chananæa*, vt prędiximus *zelus eorum, vel gratiæ.* Dæmones multi sunt, gratia vnica est. Dæmones gratię Dei semper aduersantur, animam zelantes amore vetito & sterilisicut adulteri spurcissimi. Possunt quidem castam denigrare: sed nõ possunt corruptam fœcundare. Gratia vero spõsus est legitimus, animã nõ denigrãs; sed fœcundans; quia cum animæ cõiungitur per amorem, non aufert florem virginitatis: sed tribuit prolem virtutis.

Sermo XIIII. *De dæmone animã infestante Et typus peccatoris gratiã requirentis.* Animã & dæmones & gratia ambiunt.

Notate disiunctiuam: interpretatur enim zelus eorum, vel gratiæ. Nõ est medium: Anima vel dæmones recipit amatores: vel gratiam Christi. Huius zelus tantus est circa illam, vt etiam

Gratia etiã exfornicatam recipit.
a.Iere.3.1.

etiam post multas fornicationes illam reuocet per Hieremiam dicens: a. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tantum reuertere ad me, & ego suscipiam te*. Vnde in signum nimiæ charitatis qua zelat animam ad imaginem & similitudinem Dei creatam; *egressus secessit in partes Tyri atque Sydonis*; vt eius inspiratione reuertenti occurreret. Cuius egressum, nec non & secessum antequam moraliter explicemus; considerare necesse est cum quanto zelo spurcissimus adulter diabolus cum suis lenonibus animam exagitet: cum quanto labore capiat: & cum quanta turpitudine prostituat.

At dæmones eam persequi non desistunt.

Sicut diximus in superiori Sermone, Sydon interpretatur venatio mœroris, vel mortis: continens diaboli venatores, aucupes, variaque venationis, siue aucupationis instrumenta. In Tyro, cuius interpretatio est tribulatio vel angustia; vincula illius reposita sunt, carceres & tormenta. Magnus ibi terror, vbi egreditur ad venationem animæ venator ille robustissimus: vbi leporarij hictunt; vbi vel tres bubant; vbi accipitres piplant; vbi cornua ex omni parte clangunt; vbi laquei inter frutecta delitescunt; vbi retia in compitis viarum expansa sunt; vbi post tergum animæ fugienus princeps ad suos venatores vociferatur: b. *persequimini, & comprahendite eam: quia non est qui eripiat*.

b.Psal.70.11.

Per vitia Spiritalia, & Carnalia.
c.Psal.21. 27.

Canes, vt prædictum est, vitia sunt carnalia. de quibus propheta dicit in Psalmo: c. *Circumdederũt me canes multi* Item d. *Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.* Aues vero vitia sunt spiritualia: quæ semen verbi Dei deuorant. d Laqueos non tacet cum ait: e. *Funes extenderunt in laqueum mihi.* Dicit etiam de diabolo & sagena eius Abacuc propheta. f *Expandit*, inquit, *sagenam: & semper interficere gentes non parcet*.

d.Psal 73.19.
e.Psa.139.6.
f.Haba.1.17.

Nota processũ venationis diabolicæ.

Insequitur enim animam per vitiorum suggestionem: vulnerat per eorundem delectationem: in laqueum & sagenam pellit per consensum interiorem: captiuam trahit per actum exteriorem: ligat per peccandi consuetudinem: incarcerat per desperationem. Ibi, heu! misera scortum efficitur spiritibus immundis. Hoc scitote, fratres, quod diabolus eos, quos in hac vita venatur & capit per culpam; in futuro, nisi gratia Iesu eruantur per pœnitentiam, venabitur ad pœnam æternam.

Exemplũ damnatæ visæ capi quasi in venatione

Cuiusdam Sacerdotis concubina cum moritura esset, calceos nouos & fortiter taccunatos sibi fieri petiuit. In ipsis, inquit, sepelite me: quia necessarij mihi erunt. Quod cum factum fuisset: in ipsa nocte luna splendente, miles quidam cum ante lucem cum famulo suo per strata publica incederet, illa in veste sepulturæ suæ, & calceis ad eum currens, & eiulans clamauit: adiuua me: adiuua me. Ecce venator infernalis insequitur me. Qui mox de equo desiliens, eumque seruo committens, gladio se circinauit & manu dextra spatham tenens, tricas capillorum eiusdem fœminæ, bene sibi notæ, brachio sinistro circumligauit. Et ecce forma hominis teterrimi in equo nigerrimo sedens procul apparuit. Qui cũ terribiliter buccinaret, & canes venaticos incitaret;

mulier eo audito, tota contremiscens ait militi: Dimitte me, sine me currere: ne forte me comprehendat Quam cum tantò fortius teneret, illa per multos conatus se excutiens in brachio militis capillos dimisit, & aufugit. Post modicum vero venator ille tartaricus militi occurrens, miseram illam in equo tulit captam: ita vt caput penderet ex vno latere equi.& pedes ex altera. Miles ad villam reuersus cum ista diceret, nec crederent; capillos ostendit. Qui mox corpus effodientes, sine capillis illud repererunt. Hæc occasione mulieris Chananææ dicta sint: quam alius euangelista vocat Syrophœnissam.

Timor exturdit peccatorem,ꝗ vt Deum quærat. g.*Eccl.* 1. 16.

Egresso IESV, per miserationem: anima peccatrix occurrit, per timorem seruilem. g. *initium sapientiæ timor Domini.* Hoc quædam glossa exponit de seruili timore, vocans eum initium mortis, id est,à morte Nam limen domus non solum initium est intrantium ; sed & exeuntium. Timor, Dei donum est; animæ quidem satis necessarium: sed non salutiferum; peccandi vetans actum, non animum.vnde & meritò mulier Chananæa clamat: *miserere mei fili Dauid*:

Notabilis tropologicà Apostrophe. Orat liberari à voluntate peccandi.

Ideo secessisti in partes Tyri atque Sydonis; vt angustias & tribulationes meas consideràres. Egrediente te per respectum misericordiæ, ego de peccato quant in ad actū, egressa sum per timorem gehennæ:sed adhuc filia mea, id est, conscientia mea malè vexatur à dæmone, peccādi habens voluntatem. Sana ergo illā per amorem iustitiæ.

Qui non respondit ei verbum. Per taciturnitatem Iesu, quod hoc in loco innuitur, nisi quod h.*peccatores non audit Deus*? Quid autem tunc faciendū est animæ? Cum de mala voluntate dolet, nec tamen velle bonum valeet: iustos sibi faciat intercessores Quorum typum exprimunt discipuli pro muliere intercedentes.

h. *Io* in 9. 31. Auersante Deo, inuocat sanctos.

Hi orant pro eo.

Dimitte, inquiunt,*eam:quia clamat post nos.* Quando peccator iustos aliquibus beneficijs, vel in confessione sibi obligat: illique pro eo Iesu supplicant, quid aliud dicunt nisi dimitte eā,id est, à peccandi voluntate libera:quia clamat post nos.

Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israel. Ac si diceret: Mulier hæc sub pelle ouina animū gerit caninū. Per ouē exprimitur virtus simplicitatis: per Israel claritas contemplationis. Subtiliter Dominus hac responsione ostendit,quantum ei placeat virtus simplicitatis in personis contemplatiuis:ad cuius reparationē se missum testatur. Vnde alibi dicitur: i. *Si oculus tuus simplex fuerit; totū corpus tuum lucidum erit.* Qui retrahitur à peccato tātum timore pœnæ; lupinam imitatur nequitia Mulieri gradatim ascedēti ad gratiá, notate quid iterū Dominus respódeat.

Ille tamen fugit peccatum ob pœnam.

i. *Luc* 11. 16.

Non est bonum sumere panem filiorū, & mittere canibus Mirabilis responsio. Mulier supplicat pro cura filiæ: & Dominus causatur de dispendio panis. Panis iste charitas est: de qua Dominus dicit in alio loco:k *Quis ex vobis patrem petit panem nunquid lapidem porriget illi?* Panis hic ponitur pro dilectione : lapis pro induratione cordis. Charitas panis est filiorum: quo alieni,id est, reprobi non cōmunicant finaliter. Charitas frumētum est e-

Atque tali non datur charitas finalis.

k. *Luc.* 11. 12.

est electorum, Angelos satians in patria. Non ergo bonum est tollere panem hunc, & mittere canibus: quia non est æquum vt sic peccatores charitatem recipiant, vt iusti illa priuentur.

Dari tamē potest aliqua sufficiens gratia ad salutem.

At illa salutis verba bene intelligens respondit: *Etiam Domine.* Charitas tua Manna est indeficiens; quæ k sic peccatoribus impartitur, vt in iustis nō minuatur. Non postulo peccatrici conscientiæ meę panem filiorum: id est, perfectam Charitatem: sed mitte buccellam; minimam scilicet charitatem mihi infundendo, & sufficiet mihi ad salutem.

Tanquā humiliantise peccatori.

Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorū. Catelli sunt humiles peccatores; qui iustorum suffragijs sustentantur. *Tūc respondens Iesus ait illi:*

O mulier, magna est fides tua. Post verba humilitatis fides eius prædicatur magna: l. *quia humilē spiritu suscipiet gratia.* m. Publicanus humilians se in oratione, meruit iustificari. Secundum alium Euangelistam respondit dicens: n *Propter hunc sermonem sanabitur filia tua. Fiat tibi sicut vis.* Cum velle bonum ex charitate fit; non tamen velle illius velle in charitate est. Quidam bene vellent habere voluntatē non peccandi; quibus tamen eadem volūtas non reputatur ad iustitiam: quia nisi accedat velle gratiæ, nihil salutis operatur in anima velle naturæ. Mox enim vt anima vult bonum, dæmonium totius peccati mortalis fugatur; & ab illius vexatione conscientia mundatur. Quia sine Iesu gratia conscientia sanari non poterit infirma: ad ipsum est accedendū, ipsi supplicandū: quia

l. Dan. 3. 39 simile quid.
m. Luc. 18. 18.
n. Mar. 7. 29.

ipse est medicus & medicina, veritas & vita: cui cū Patre, & Spiritu sancto laus sit & perennis gloria, in sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA TERTIA QVADRAGESIMAE.

Secundum Lucam Cap. 11.

I*N illo tempore: Erat Iesus eijciens dæmonium: & illud erat mutū. Et cum eiecisset dæmoniū, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM Lectione.

Sermo XV. De eiectione peccati per gratiam in Conuersis Et de septem Spiritibus.

VSque hodie IESVS non cessat eijcere dæmonia. Quid aliud est dæmoniū, nisi mortale peccatum? Vnde Maria Magdalena, quia vniuersis vitijs plena fuit, a. septem de illa Dominus eiecisse prædicatur dæmonia. Secundum Latinū idioma dæmonium dici potest a demonstrādo: eò quod suum vas demonstret: siue in anima existens per malitiam, siue in corpore per energiam. Nō est mediū in anima hominis; vel spiritus diabolicus in illa est per malitiā; vel Spiritus S. per gratiam. Necesse est vt alter alteri cedat. Spiritus sanctus ipse est digitus Dei, quo IESVS dæmonia eijcit; cui nulla virtus cōtraria resistit. Quando peccator de peccato suo conteritur; digito Dei de illius corde dęmoniū eijcitur. Cū vero peccati actum deserit; quasi dæmon subsellium suū totaliter relinquit.

a. Lu 8. 2.
Malitiam peccati expellit gratia Dei.

Quod autē dicitur idē dæmonium fuisse mutū; de effectu intelligēdū est, eo quod hominē mutum reddiderit. Quamdiu noxa peccati mortalis in homine est, in auribus Dei mutus est: quia b *peccatores nō audit Deus.* Quapropter

At ante peccator est mutus, non auditur à Deo.
b. Ioan. 9. 31.

propter caueāt claustrales, quorum voces in Psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus quotidie raucescunt; quorū labia ab orationibus rarò quiescunt, ne dæmonium peccati criminalis intra se contineant; per quod in auribus diuinis muti fiant. Ait enim per Isaiam: c *Cum multiplicaueris orationem, non exaudiam: manus vestræ sanguine plenæ sunt*, id est, opera peccato deformata.

c Isa. 1. 15.

Et cum eiecisset dæmonium, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ. Dimisso peccato, mox lingua peccatoris soluitur; & efficitur tam sonora siue sit in prædicatione, siue in exhortatione, lectione, vel oratione: vt etiā penetret nubes. Moysi tacenti dicitur: d *Quid clamas ad me?*

Post autē vel tacens auditur contritus.

d Exo. 14. 15.

Sed vnde admiratio poterit esse turbis: cùm contritio, quæ muti vocem efficit tam sonorā, & tam intelligibilem, in auribus Dei sit occulta? Puto quod ex signis exteriorib. muti & obsessi curatio agnoscatur. Quando peccator Dei gratia compunctus, cōuertitur ad Ordinem religiosum; signum est, quod dæmonium, id est, peccatum de eius corde sit eiectum, & linguæ illius plectrum Dei organum effectum.

Quia exter na signa cō uersionis clamant pro eo.

Sed sunt quidam tam malitiosi, vt quorundam peccatorum conuersionem non Deo, sed diabolo asscribāt; & dicant: Isti si haberēt in sæculo vnde viuerent, nequaquam conuerterentur. Ad hoc tantū monachātur; vt Ordinis gratia victum habeant atq; vestitum. Dei laudes loquuntur non amore iustitiæ: sed timore penuriæ. Quid aliud tales dicūt ad Iesum gratiæ eius exprobrantes; nisi, *in Beelzebub principe dæmoniorū eijcit dæmonia?*

Quā vani sinistrè interpretātur.

Beelzebub interpretatur, vir muscarum. Muscæ sequuntur escas. Qui tantum propter commodum temporale, & non propter timorem gehennæ, spemque gloriæ, conuersi Deum confitentur & laudant: hi reuera in Beelzebub se falsò curatos ostentāt. Vnde: e *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei.* Tales sunt quidam ex his, quos videmus, barbatis; qui ad hoc tantum religionis habitum assumūt, vt illius gratia homines efficacius decipiant, mundum gyrouagi perlustrantes, & gulæ illecebris, atq; luxuriæ deseruientes.

Atta men sunt quidā gyrouagi Conuersi.

e Psal. 48. 19.

Et alii tentantes signum de cælo quærebant ab eo. Hi speciem illorum tenent, qui dum quosdam flagitiosos viderint conuersos; conuersioni detrahentes dicunt: Cùm Deus per istos signa fecerit; tunc demum credemus eos sanctos.

Contētores etiam Monacho rū sūt alij.

Hinc est quod quidam Comes terræ nostræ; cùm à militib. suis moneretur & rogaretur, vt Ordini nostro in suis Teloneis, iniustisque exactionibus, quibus tam claustrales quam sæculares in suis rebus deducēdis indebitè vexat, & damnificat, parcere dignaretur, respōdit: Vbi vidistis vmquam aliquem griseorum monachorum sanctum? Dominicis diebus quando sacerdos nobis intimat diuersorum Ordinum sanctos: nusquā ibi audio griseos monachos sanctos.

Audiui etiam & ego à quodā alio quoddam verbum blasphemiæ cōtra gratiā Dei. Cùm mētio esset de quodam Conuerso, viro satis religioso, respondit: Conuersus iste per omnes dies vitæ suæ negotiator existens homines decepit, modo vult esse sanctus.

Iesus

Iesus autem vt cognouit cogitationes eorum, dixit: Omne regnum in se diuisum desolabitur: & domus supra domū cadet. Hoc ad litteram verum est. Vbi diuisio; ibi & necessario desolatio. Domus supra domum cadit, cùm potentior opprimit infirmiorem: vtputa, Rex Principem, Princeps militem, miles ciuem, & agricolam: & hæc signa sunt desolationis. Prouincia nostra, vt videtis, propter intolerabiles exactiones, quæ fiūt ab Aduocatis in pauperes atq; mediocres, iam ex parte magna desolata est à suis cultoribus.

Vbi diuisio, ibi desolatio.

Quorsum tamen hanc similitudinem Dominus dirigere voluerit, mox ostendit, cum subiunxit: *Si autem & Sathanas in seipsum diuisus est, quomodo stabit regnum ipsius; quia dicitis, in Beelzebub me eiicere dæmonia?* Quod Sathanas in se diuisus sit, & Sathanam eijciat; veraci didici relatione.

Exemplū diuisi regni dæmonū in vno obsesso.

Narrauit nobis venerabilis quidam sacerdos & monachus de Sconaugia; quæ domus est Ordinis Cistertiensis; duos nuper fuisse obsessos in diœcesi VVormatiensi; in qua eadem domus sita est; in quibus tanta erat adinuicem inuidia atque discordia; vt alter alterum miro modo persequeretur. Si quandoque contingeret eos conuenire; nihil ibi aliud audiebatur nisi clamor, & stridor, dentibus manibusque se crudeliter lacerantes, & quas poterant, blasphemias in alterutrū euomentes. Die quadam vnus illorum Clerico propè astanti secretè dicebat: Si mihi acquieueris; consilium tibi dabo qualiter dæmonē illum, aduersarium meum, sine labore & difficultate de vase suo eijcias. Respondente Clerico, libenter acquiescam: subiunxit dæmon: Referam tibi characteres; quos cum scripseris, & in aure obsessi susurraueris; mox effugiet. Quod cùm factū fuisset; & dæmon esset eiectus: suasum est Clerico, vt eadem verba in aurē diceret alterius obsessi; fortassis consimilē ibi haberent effectum. Quod verum fuit. Sicque spiritus ille nequam proprio telo confossus, eiectione sua satis ostendit quanta sit in regno Sathanæ diuisio, & quassatio. Tanta siquidem inter ipsum, & Patrem, sanctumq; Spiritum est vnitas, pax, charitas, & concordia: vt Pater non possit esse sine Filio, neque Filius sine Patre; neque Spiritus sanctus sine vtroque. Non enim Christus in Beelzebub dæmonia eijcit: quia nulla illi conuentio ad Belial.

Factū nulli imitandū.

Suspecta dæmonis techna.

Caue illi vel vnquā vel cōsilio vel auxilio sin; peccas.

Quod autem sequitur: *si ego in Beelzebub eiicio dæmonia: filij vestri in quo eijciunt?* ad prædicta referendum est: vt sit sensus: Vos plures habentes liberos non propter amorem iustitiæ, sed causa auaritiæ, vt scilicet pecunijs parcatis, & reliquos honestius nuptijs tradatis; locatis in monasterijs. Qui & alios consanguineos & amicos suos verbo & exemplo eādē necessitate ad se trahunt. Quod si illorum conuersionem attribuit spiritui sancto: quare non eorum, quos ego aspiro? *Ergo & ipsi iudices vestri erunt*. non auctoritate sed comparatione; quia quod illi asscribunt gratiæ & deuotioni; hoc vos fallaciæ & hypocrisi.

Responsio ad vanos istos interpretes cōuersionis, i. susceptæ religionis.

Porro si ego in digito Dei *eiicio dæmonia: profecto peruenit in vos regnū* Dei. Digitus Dei Spiritus sanctus est: quē Magi Pharaonis confessi sunt in Ægypto: quo & lex scripta est in mōte

Spiritus S. gratia eijcit peccata

 Synai

Synai. Videtur quædam proprietas esse in digito, per quem dona Sancti Spiritus designatur. Habet enim septem notissimas distinctiones in quibus circulariter cōputatio nostra discurrit: tres intrinsecus, & tres exterius; septimum vero in suprema extremitate. Dona Spiritus S. septem sunt, certis vocabulis distincta: e. videlicet Spiritus sapientiæ, & intellectus, consilij, & fortitudinis, scientiæ & pietatis, & Spiritus timoris Domini. Non nisi per hunc digitū septiformis gratiæ, quo magorum præstigiæ in AEgypto sunt infirmatæ, dæmonia eijciuntur, id est, vitia vniuersa; quorum numerositas per septem vitia principalia sunt designata. Regnum Dei fides est charitate informata: qua regnum cœlorum meremur, & Spiritus-sanctus infunditur. Sequitur:

e Sap. 11. 2

Cum fortis armatus custodit atriū suum, in pace sunt omnia quæ possidet. Cum nuper hoc Euangelium in villa quadam diœcesis Treuerensis super caput cuiusdā obsessi legeretur, ventumque esset ad hunc locum; cœpit dæmon in tātum furere, & tam crudeliter plus solito hominem vexare; vt causam circumstantes mirari non sufficerent. Cumque de hoc interrogatus nihil respōderet; validissimis exorcismis coactus quomodo præsentem versiculum intelligeret, frendens & fremens respondit: Quido magister tuus venit ad portas inferni; fortior erat magistro meo. Sicque obmutescēs satis intelligere dedit, quid dicere vellet. Fortis iste diabolus est, de cuius fortitudine Dominus loquitur ad Iob dicens: f *Non est potestas super terrā, quæ comparetur ei: qui factus est, vt nullū timeret.* Qui & mille nocendi artibus armatus est.

Exemplū, de horum verborū vi & veritate: Aliàs tamē notissima.

Christus victor inferni.

f Iob 41. 24.

Atrium eius cor peccatoris est; cuius aditum diligētissimè custodit, ne aliqua virtus introiens pacem vitiorum eius conturbet. Quādo in anima hominis nulla humilitas resistit superbiæ, neq; mansuetudo iræ, siue dilectio inuidiæ, sicq; de cæteris: in pace sunt ea, quæ possidet diabolus. Nec sine nota vocari videtur anima vel cor hominis atriū diaboli: quia in illā non potest substantialiter introire; licet callida & fraudulenta deceptione in affectum malitiæ suæ frequenter illā trahat. Mentem vero hominis, vt dicit Beda, nihil potest implere nisi creatrix Trinitas. Sicque quod diabolo atrium est, Deo soliū efficitur, cùm egressus fuerit per gratiam Spiritus sancti. Ille vero, Spiritus S. scilicet, ipse est, de quo subditur: *si autem fortior superueniens vicerit eum; vniuersa arma aufert, in quibus cōfidebat & spolia eius distribuit.* Incomparabiliter fortior est Spiritus sanctus spiritu maligno, quia cùm ille humanæ voluntati non possit inferre vim, vt peccato consentiat: iste, post consensum etiam gratiæ renitētem, cùm vult, iustificat. g *Non est enim qui se abscōdat à calore eius.* Cuius h *Ille est qui educit vinctos in fortitudine:* similiter eos: i. *qui exasperāt, qui habitant in sepulchris,* id est, in consuetudine peccati. i. Homo sine diabolo per liberū arbitriū cadere potest: sed sine gratia Spiritus sancti per liberū arbitriū resurgere nō potest. Ingressus vero in animam hominis Spiritus S. fortem vincit, & conterit vniuersa vasa eius bellica, loricā scilicet, scutū, galeam, gladium, pharetram, & lance-

Dæmō esse in atrio cordis potest.

At Deus solus in mente.

S. Spiritus est fortior spiritu malo.

g Ps. 18. 4
h Ps. 67. 7.
i Psa. 65. 7

lanceam auferens, & proijc[illegible]. 3. Septiformis hæc armatura significat septē vitia principalia; id est, inanem gloriam, iram, inuidiam, acediam, auaritiam, gulam, luxuriam. His septem vitijs Spiritus S. in ingressu suo opponit suā septiformem armaturam, quibus ipsa vitia eijcit; fidem scilicet, spem, & charitatem; iustitiā, prudentiam, fortitudinem, & temperantiam. Ecce hæc sunt spolia, quæ Spiritus sanctus in exitu vitiorū per cordis latitudinē distribuit, & ordinat. Diabolus animā per vitia in naturalib. vulnerat, & in gratuitis spoliat. Ergo gratuita spolia sunt. Sequitur.

Qui non est mecum, aduersum me est. Teste Iohanne k I *eus charitas est; & qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo.* Secundum hoc, qui charitatem non habet, cum Deo non est, nec potest esse vnus spiritus cum eo; quia peccatum mortale, quod in ipso est, Deo prorsus contrarium est, propriǫque saluti. Vnde & subditur: *Et qui non colligit mecum, dispergit.* Qui sine charitate est, sine salute est; & cum Iesu, qui salus interpretatur, nihil horum, quę ad salutē animæ pertinēt, interim colligere potest. Quicquid enim orando, vigilando, ieiunando, siue eleemosynas erogando sibi conquirere videtur, non ei cedet in cumulū meritorum. Quare? Quia fasciculo charitatis non sunt colligata. Vnde Apostolus nos admonet dicēs: m *Omnia vestra in charitate fiāt.* Terribile valdè est, quod sequitur:

k I Ioh. 4. 16.

Et infudit charitatē Dei meritonam.

m 1. Cor. 16. 14.

Cum immundus Spiritus exierit ab homine, perambulat loca inaquosa, quærens requiem, & non inueniens dicit: reuertar in domum meam, vnde exiui. Eiectus ab homine per Spiritum S. spiritus [illegible] immundus, per virtutem conuersionis; perambu[illegible], id est, arida secularium corda, in quibus nō est humor alicuius Spiritualis gratię, neq; germen gignitur iustitię. In quibus requiem quærit, nec inuenit: quia non est ei quæstio de habitis, sed de amissis.

Vnde legitur in Vitis Patrum dæmon quidam, qui laborauerat quadraginta annis circa subuersionem vnius monachi, à principe suo fuisse coronatus atq; laudatus; cæteris iniuriatis, qui infra paucos dies multa millia hominū extinxerāt. Amplius enim sollicitatur, qualiter vnus religiosus subuertatur, qui multi sæculares: sicut subiecto probatur exēplo.

Exemplū triumphātis dæmonis de religioso seducto.

Nuper Coloniæ ciuis quidam defunctus est; homo bene natus, diues, aliquando & honoratus, potensque in eadem ciuitate. Qui cum per omnes dies iuuentutis suæ delitijs afflueret, & luxuriose viuendo omnem substantiam suam consumpsisset; iam senex effectus hæreditatem suam vēdidit, pecuniam ex ea receptam dans ad vsuram. Post annos paucos, vsura deficiente, cum egere cœpisset, vt fertur, ad Clericum quendam artis nicromantiæ per tum, accessit; homagium suum diabolo per illum offerens; dummodo ad pristinos redire posset honores. Qui cū diabolū suis incātat onibus vocasset, ille causa cognita, oblata cōtēnēs, respondit: Vt quid me frustra vexasti? Nō darem obulū, quatenus plus iuris haberē in homine. Meus totus est ille. Nō ergo immerito per Iob de illo dicitur. n. *Absorbet flumen, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Per flumen intelliguntur homi-

Aliud sæcularis volentis se deuouere diabolo, ob diuitias, sed spreti ab eo ob peccata.

n. Iob. 40. 10.

homines sæculariter viuentes [illegible] [illegible] in culpa; per Iordanem vero à culpa conuersi ad gratiam. In illorum subuersione modicum laborat: hi vt conuertantur retrorsum plurimum instat. Et quid dicit? *Reuertar in domum meam, vnde exiui*: tempore scilicet conuersionis. *Et cum venerit, inuenit eam scopis mũdatam*. Per scopas intelligitur disciplinæ rigor, quo peccati pœna purgatur. Matthæus addit, *vacantem*. Quid prodest, si monachus quotidianis disciplinis exerceatur, frequenter in Oratorio siue in Capitulo vapulet, & ab effectu disciplinæ vacet? Reuera fratres, si spiritus immundus eos, quos in sæculo possidebat, per varia vitia, viderit post conuersionem in Ordine vacare non orationi, sed vanis cogitationibus: non lectioni, sed confabulationibus: nõ labori manuum, sed euagationibus: acrius illos data occasione impugnat. Et quid facit?

Vadit, & assumit alios septem spiritus nequiores se: & ingressus habitat ibi. Per hoc, quod dicitur spiritus immundus alios septem spiritus assumere; patet septem spiritus dudum egressos, vt prædictum est. Attendite fratres. Cum septenario diabolus exit; & cum septenario cedit. Quia cõtrarius est Spiritui sancto, suos septenarios illius septenarijs semper opponere conatur. Primus spiritus eo nequior, per quem in domum dimissam regreditur, esse videtur audacia: secundus diuini cultus abstractio: tertius fraudulentia: quartus acedia: quintus obstinatio: sextus hebetudo: septimus mala conscientia. Spiritu audaciæ diabolus primũ visus

Septem spiritus nequam sunt vitia 7.

[illegible] in cœlo: cum dixit m. *Ascendam in cœlum*. Abstractione diuini cultus, cum protinus subiunxit; *similis ero altißimo*. Qui alteri æqualis vult esse; nihil illi seruitij vult, vel potest impendere. Spiritu fraudulentiæ peccatum paradiso induxit, cum dolose ait ad mulierem: n. *Cur præcepit vobis Deus ne comederetis de omni ligno paradisi?* Proferente illa verbum ambiguitatis, scilicet, *ne forte moriamur*, per spiritum desidiæ roborauit illam dicens: *Nequaquam moriemini*. Accessit mox spiritus obstinationis cum dixit: *Scit Deus, quia in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri*. Quam spiritus hebetudinis inuasit, cum protinus Dei similitudinem repromisit dicens: *eritis sicut dij*. Spiritus malæ conscientiæ nouissimus intrauit, cum subintulit: *scientes bonum & malum*.

m. Isai. 14.14.

n. Gen. 2.

Septem sunt dona Spiritus sancti, quæ & scriptura Spiritus vocat; o. septem his vitijs contraria: videlicet spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilij, & fortitudinis, spiritus scientiæ, & pietatis, & spiritus timoris Domini. Hoc donũ ordine naturali primum est. *Initium sapientiæ timor Domini*. Quando monachus incipit præcepta paruipendere; culpas suas procaciter defendere; resistere Prælatis, frontem prætendere meretricis: spiritus audaciæ expellit in eo spiritum timoris Domini. Vnde sapiens clamat: p. *Fili accedens ad seruitutem Domini, sta in timore*. Item cum se a seruitio Dei irreuerenter atque frequenter subtrahit, & suo exemplo alios auertit, per ipsum vitium irreligiositatis expellitur ab eo spiritus pietatis, qui Græce theose-

Septem boni spiritus.

o. Sa. 11.2.

Eccl. 1.

p. Eccl. 2.1.

osebia, id est, diuinus cultus appellatur. Item cum seruitutis suæ pensum monachus negligenter soluit, syllabas præcidendo, ipsos etiam versiculos, nonnunquam orationes, siue dictiones omittendo, & sine mente ea, quę orat, vel psallit, proferendo, spiritus fraudulentię eijcit ab eo spiritum scientiæ. Vnde Hieremias dicit. q. *Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter.* Quando vero sic paulatim defluens tantæ efficitur desidiæ, vt illi non libeat orare, psallere, legere, vel laborare; spiritus acediæ tędium scilicet boni, tollit ab eo spiritum fortitudinis. Contra quod vitium Salomon clamat dicens. r. *Vsquequo piger dormis? Manus remissa tributis seruiet.*

q. Iere. 48. 10.

r. Pro. 6. 9. & 24. 32.

Mox sequitus spiritus obstinationis; qui sic acediosum indurat, vt nullius admonitionibus acquiescat; & quod sibi visum fuerit, aliorum consilijs pertinaciter anteponat; per vitium obstinationis spiritum expellens consilij. Hoc vitium religiosis periculosum est valdè. quia s *quasi peccatum hariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere.* Sextum vitium est hebetudo mentis, obstinationis comes: quæ non sinit hominem cogitare quanta pœna sequatur vitia; vel qualiter sint vitanda. Hęc suadet verbum illud execrabile: nihil interest, verum bene vel male viuam. Si prædestinatus sum, saluabor: si præscitus, damnabor. Sic spiritus hebetudinis expellit spiritum intellectus. Septimus spiritus nequam est mala conscientia, ex vitijs enumeratis collecta; totius spei atque gaudij spiritualis dulcedinem tollens, spiritumque sapientiæ prorsus eliminans. Sapientia enim à sapore dicta est. Quem vermis conscientiæ mordet, omnia illi bona spiritualia efficiuntur insipida.

s. 1. Reg. 15. 23.

Væ homini religioso, in cuius cor diabolus ingressus fuerit cum his septem spiritibus nequam: quia si ibi habitauerit per consuetudinem, erunt *nouissima hominis illius peiora prioribus*, id est, vitijs atque peccatis, quæ commisit ante conuersionem. Vnde beatus Petrus in epistola sua secunda de talibus dicit. t *A quo enim quis superatus est huius & seruus est.* Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini nostri IESV Christi & Saluatoris, his rursus implicati superantur; facta sunt posteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoscere viam iustitiæ: quam post cognitionem retrorsum conuerti. Sequitur:

Cō suetudo peccādi omniū est pessima.

t. 2. Petri 2. 19.

Factum est, cum hæc diceret; extollens vocem quædam mulier de turba, dixit: Beatus venter, qui te portauit, & vbera quæ suxisti. Nusquam sic beatificatur IESVS in prædicatione sua: quomodo in hoc loco. Ex quo colligitur magis eidem fœminę placuisse doctrinam Iesu, quam miracula. Per hoc autem, quod Dominus respondit: *quin immo beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud:* constat vtrosque esse beatos, & digne prædicantes, & deuotè audientes Fratres, in quolibet vestrum venter esse poterit, quo Iesus portetur: similiter & vbera, quibus lactetur. Si iugem eius habuerimus memoriam; intra viscera mentis illum cum Maria portamus. si proximis opera mi-

Doctrina pluris est quam miracula.

Venter est me noria Ch isti

 seri-

Vbera sũt opera misericordię

sericordię impenderimus; operibus pietatis illum lactamus. Duo vbera duo sunt misericordiæ opera; corporale scilicet, & spiritua'e. Est panis, quo corpus, ne deficiat, sustentatur: & est panis verbi Dei, quo cor cõfirmatur. Quicquid proximo propter Christũ impenditur, ipse sibi factum testatur.

Opera præ auditione sunt.

u Ro. 2. 13.

x Ioan. 6.

y Ps. 18. 12.

z Lu. 6. 48

Beati sunt, qui audiunt verbũ Dei, & non solum ideò beati, quia audiunt; sed quia custodiunt illud. u *Non auditores sed factores legis iustificantur.* x *Verba*, quæ loquitur Iesus, *Spiritus sunt & vita*, y *& in custodiendis illis retributio multa.* z. *Qui audit, & non custodit, comparabitur homini stulto ædificanti super arenam: audiens vero, & custodiens, viro sapienti, qui ædificauit domum supra petram.* Tales habitabũt in domo Domini, vt scriptum est: a *Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te.* Quo nos perducat, de quo sermo est, Dominus noster Iesus Christus: qui cum Patre & Spiritu S. viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

a Ps. 83. 5.

DOMINICA QVARTA QVADRAGESIMAE.

Secundum Iohann. Cap. 8.



IN illo tempore: Abiit Iesus trans mare Galilaeæ, quod est Tyberiadis; & secuta est eum multitudo magna. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XVI.

MAre Galilææ, quod est Tyberiadis, statũ exprimit vitę sęcularis. Nec immeritò. *Secundum nomen eius, ita & opus eius.* Interpretatur enim Galilæa volubilis, vel rota. Quia vita mundialis semper in motu est, & per varias curas circuit: plurimos in vertiginẽ mittit. Circuit ibi clericus per ambitionem; miles per laudis humanæ conquisitionem; mercator per negotiationẽ; rusticus per quotidianum laborẽ. Sunt ibi & alij miserabiles circuitus: prædonũ scilicet, furum, latronum, adulterorum, vitiorumq; consimiliũ, qui animam quasi quodã rotali impulsu pręcipitant in infernum. Multis tamen huiusmodi circuitiones timore futuræ poenæ nauseam pronocant; nõ vomitũ: quia cùm eis vitia vitæ sęcularis displiceant; non tamen ea deserũt. In alijs vero maris huius iactura tãtum vomitũ creat, vt de illo exire sustineãt, *Iesumque* sequãtur in solitudinem vitæ spiritualis.

De trãsitu à mundo ad religionẽ: deque quinq; præcipuis virtutib. religionis.

a Eccl. 2. 46.

Mundi circuitus varij

His nauseã

Istis vomitũ pariunt.

Voluit tamẽ Iesus intrare mare Galilęæ, propter exemplũ: videlicet vt ostẽderet in circuitu vitæ sæcularis, licet sit periculosus, nõ deesse salutẽ: dummodo vitijs careat. Quod verò celerius trãsfretauit, dedit intelligere vitam claustralẽ siue solitariã vita sæculari multo fore securiorẽ, multoque tranquilliorem.

Transfretãdi tamẽ.

Et secuta est eum multitudo maxima. Vsque hodie turbæ populorũ nõ cessant Iesum sequi in desertũ monasticæ religionis. Respicite fratres, deserta sæculorum: monasterijs plena sunt. Causam sequentæ mox Euangelista subiunxit dicens: *quia viderunt signa quæ faciebat super his qui infirmabantur.* Per viros claustrales, & nihil in hoc mundo possidẽtes maxima signa atq; sanitates operari cõsueuit: sicut legitur in Vitis Patrum de Monachis

Ad religionem.

nachis Aegypti.

Adque perfectionem. Quod autem Iesus subijt in montē solus cum discipulis suis; signū fuit magnæ perfectionis: quia mons typū gerit diuinæ contemplationis. In a Mat.18.2 monte a. quidam discipulorum gloriam IESV speculati sunt. in monte b Act. 1. b oliuarum euntem illum in cœlum viderunt.

Ad contēplationem Sessio IESV atq; discipulorū quietem significat, atque consolationē, quæ sunt in cōtemplatione. Vnde & Spiritus paracletus super Apostolos in Pentecoste sedisse cōmemoratur.

Erat autem proximum Pascha dies festus Iudaeorum. Pascha interpretatur trāsitus, vel transcensus; & benè cōgruit diuinę contemplationi: in qua mens humana ipsam transcendens rationē, de imis trāsit ad summa; de terrenis ad cœlestia. Et est talis trāsitus dies festus Iudæorum.

Ad confessionem & laudationem. Iudæi interpretatur laudātes, vel glorificātes. In cōfessione criminis, siue laudis Deus glorificatur. Vnde Psalmista cū præmisisset: c. *confitebor* c Ps.85.12 *Domino nimis in ore meo*: mox sub-unxit: *& glorificabo nomen tuū in æternū.* d Psa.108.30. De confessione oris alibi dicit: d. *cōfitebor Domino nimis in ore meo*: qui statim subiunxit: *& in medio multorum laudabo eum*. Vides quomodo ista duo coniuncta sint, cōfessio scilicet, & laudatio.

Per purā confessionem criminis, peruenitur ad cōfessionē laudis. Hęc tanteę glorię est, vt Deus indutus illa e Ps 103.1. videatur. Ait enim speculator glorię sanctus Dauid: e. *Confess onem & decorē induisti: amictus lumine sicut vestimento.* De die festo contemplatiuorū qui fit per cogitationē, supra in alio Psalmo dixerat, *quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi: & reliquiæ cogitationis diem festū agent tibi.* Sequitur:

Cum subleuasset oculos Iesus, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: Vnde ememus panes: vt manducent hi? Hoc autē dixit tentans eum. Vsque in præsens Iesus Pusillanimitas procuratorū non cessat tentare eos, qui sequentiū se monasteria dispensant. Ipse tamen scit, quid de illis sit facturus. Quod autem Philippus respondit: *ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisque modicū quid accipiat*: ad pusillanimitatem pertinet dispensatorum. Contingit frequenter, vt considerata fratrum multitudine, & victualium modicitate, de permanent a desperantes dicant Abbati: Annona deest, pecunia non habetur; nihil superest, nisi vt Cōuentus emittatur. Talia frequenter audiuimus.

Dicit ei quidā ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri: Est puer vnus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos pisces. Sed quid hæc inter tantos? Andreas hoc in loco designat eos, Et consultorum Abbatis. qui boni cōsilij sunt, & qualiter fratribus subueniendum sit, Abbati ostendunt: sed tamen in ipsa sua consideratione deficiunt. Andreas interpretatur respondens pabulo, vel decorus in statione: bene presenti expositioni alludens. Abbas verò, qui Christi vices agit in cōgregatione, spē in Christo semper habere debet; eiusque verba discipulis reuoluere. quibus dicit: f. *primum quærite regnū* f Mat.6.33 *Dei, & iustitiā eius, & hæc omnia adijcientur vobis.*

Sicut legitur in vita S. Bernardi Exemplū dantis Dei in fame. Abatis Clareuallis, qui no tris tēporibus extitit; cū tēpore quodā famis, cōsiderata à fratrib. ānona, vix vsq; in

Pascha sufficere videretur; nec vsque ad illud tempus suffecisset: non minori miraculo, quam olim in deserto, Christi benedictione adeò multiplicata est; vt & ipsi abundarent, & pauperibus ex ea vsque ad messē ministrarent.

Diuitiæ Cœnob. Cistertiē sium.

Neque minori miraculo dignum iudico quod hodie in diuersis monasteriis, ex fidelium eleemosynis innumerabilia hominum pascit millia, quam tunc in vno loco ex quinque panibus, & duobus piscibus quinque millia hominum pauit. Quædam sunt domus ordinis Cisterciensis adeò diuites, vt vna earum singulis diebus quinque millia hominū pascere sufficiat: ita tamen si Monachis & Conuersis coloni cum mercenarijs, hospites cum pauperibus connumerentur.

Resque visuales & necessaria

Fœnum, in quo comedentes sederunt, subsidia sunt temporalia, vinum scilicet, & oleum, pisces, & pecora, corium, & ferrum, aliaque huiusmodi: quæ claustralium necessitas exigit De tali fœno dicitur in psalmo g. *Qui producit in montibus fœnum, & herbam, seruituti homini.* Montes sunt in sæculo diuites atq; potentes, per quorum eleemosynas Christi pauperes sustentantur.

g. *Psal.* 146. 8.

Moralis explicatio Quinque virtutes religiosæ.

Secundum moralem intellectum, quinque panes hi Euangelici, quinque virtutes exprimunt: in quibus vita monachorum consistit. Prima est voluntaria paupertas, secunda obedientia, tertia humilitas, quarta patientia, quinta charitas in opere. Nam secundum habitum primatum tenet, quia causaliter cæteras virtutes charitas præcedit.

Quinque istæ virtutes in quinque sensibus corporei resultant: & in illis suos effectus manifestant. Voluntariæ paupertati maximè cooperatur tactus: obedientiæ, auditus: humilitati, visus: patientiæ, odoratus: charitati, gustus. Verbi gratia. Primum signum perfectionis in Conuerso est, proprietati, proprijque voluntati renunciare. quod plerumque fit anno probationis completo: manu per festucam in Capitulo vtrunq; proiiciens. Sic nobilis adolescens Theodorus, cum sarcina diuitiarum grauaretur, & à proposito conuersionis retraheretur, vestimenta sua proijciens, nudus ad monasterium cucurrit.

Earumque vius in 5. sensibus.

Signa singularum. Primæ Renuntiationis.

Secundum signum perfectionis est obedientia: quam mox nouitius in Oratorio coram Deo & sanctis, quorum reliquiæ ibi habentur, audiente Abbate, & fratribus vniuersis, scripto, & ore se custodire promittit. Quantum hæc virtus, ad auditum pertineat Dominus ostendit, cum dicit: h *In auditu auris obediuit mihi.* Tertium signum perfectionis est humilitas: quę maxime in visu gloriatur. Nouitius factus monachus in oculis omniū in nouissimū locum ducitur: vt ex hoc eius humilitas comprobetur. Ac si dicatur illi: Si vis attingere culmen perfectionis; necesse est vt gradatim ascendas per scalam humilitatis.

2. Obedientia.

h. *Psal.* 17. 45.

3. Humilitatis.

Duodecim gradus huic scalæ beatus Benedictus inseruit. Latera scalæ dicens monachi corpus esse, & animam: eo quod non solum corde, immo etiam corpore se humiliare debeat in oculis proximorum. Quantum in hac virtute delicietur visus humanus, nouimus experimento. De diuino dicitur: i. *Quoniam excelsus*

i. *Psal.* 135. 6.

sus Dominus, & humilia respicit: & alta à longe cognoscit. Et in Isaia. k *Super quem respiciam, nisi super humilem?* Vnde Psalmista orat dicens: l *Vide humilitatem meam, & laborem meum.* Et in Cantico suo beata Maria dicit Dominum respexisse humilitatem suam. Humilitate Saul. m meruit regnum. Vnde Samuel eidem Sauli dixisse legitur. n. *Cum esses paruulus in oculis tuis factus es caput in Israel.*

k. Isa 66. 2.
l. Psa 24. 18.
m. 1. Reg. 10.
n. 1. Reg. 15. 17.

4. Patientiæ

Humilitati coniungitur patientia, sicut nares oculis: quia sicut illa ad visum, ita ista pertinet ad odoratum. Laurentius Decium per patientiam vicit: per quam esse meruit sacrificium laudis, in odorem suauitatis. Vt dicit sanctus Gregorius, sine ferro martyres esse possumus: si patientiam veraciter in animo seruamus. Quanto lilium spinis plus pungitur, tanto suauius ac fortius redolet: ita & patiens animo. Sicut enim naribus odor discernitur: ita *doctrina viri* teste scriptura, o *per patientiam dignoscitur.* Quinta virtus charitas est, sine qua cæteræ informes sunt: cuius effectus præcipue per gustum cognosci tur. Vnde Apostolus dicit. p. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit potum da illi. hoc autem faciens carbones ignis congregabis super caput eius,* id est, charitatem excitabis in corde eius. Nam & ipsa refectio quæ propter Christum impenditur, à religiosis charitas nominatur. Vnde dicere solemus, ille vel ille dedit nobis hodie bonam & pinguem charitatem.

o. Prou. 19. 11.
5 Charitatis.
p. Rom. 12. 20.

Iam nostis, vt arbitror, fratres, qua similitudine virtutes istæ dicantur panes, & quare quinque: nunc vero quomodo ad hordeum pertineant videamus.

Virtutum earum cōdimentum sunt timor & spes.

Hordeum minus sapidum est, magis cibus iumentorum, quam hominum. Prædictæ virtutes nimis essent amaræ & incomestibiles; si duorum piscium adiectione non condirentur. Duo hi pisces: sunt timor pœnæ, & spes gloriæ. Voluntaria *paupertas* cōsistit in abrenunciatione totius proprietatis: non solum substantiæ, sed & voluntatis. Vera *obedientia est,* si homo se subdat maiori, pari, atque minori. Vera *humilitas est,* si homo contemnat mundum; si contemnat seipsum; si contemnat nullum: & si contemtus fuerit, hoc ipsum contemnat. Vera *patientia est,* si mala illata, siue à Deo, siue à diabolo, siue à proximo, æquanimiter homo ferat. Vera *charitas est,* animā ponere pro amicis: & in Deo diligere inimicos. Quis talibus panibus pasci posset, si eorum amaritudinem timor pœnæ, & spes gloriæ non temperarent?

Quæ duo bene per pisces designantur, qui sub aquis latent: quia pœna gehennæ, & gloria patriæ nunc à nobis minime videntur.

Earum fortitudo.

Bene autem Andreas, qui virilis interpretatur, tam panes, quam pisces ostendit: quia ad sæpe dictarum virtutum officia fortitudo mentis maximè est necessaria. Puer vnus illas portat. Quia sine virtute puritatis nulla virtus portari, id est, haberi potest. Item quia sine gratia cooperante eædem virtutes satiare, id est, exerceri nequeant. Iesus illas in manibus tollit. Ipsius enim benedictio, vt quidam ait, facit virtutes.

Puritas.

Et Benedictio à Iesu,

Eas vt Iesus habuerit.

Accepit, inquit Iesus panes. Videte fratres, qualiter ipse primum accipit enumeratas virtutes. 1. Dicit enim *de paupertate*

[q. 2. Cor. 8. 9.] *paupertate illius* Apostolus q. *Qui, cum diues esset; propter nos pauper factus est.* [r. Matt. 8. 20.] Item ipse de seipso. r. *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput suum.* In paupere loco, & de paupere matre natus est. Ne autem causari possimus de proprietate voluntatis eius: audite quid dicat. [s. Ioan. 6. 38.] s. *Non veni facere voluntatem meam; sed eius, qui misit me, patris.* Quod panem acceperit *obedientiæ*, etiam Apostolus dicit: [t. Phi. 2. 8.] t. *Factus est obediens patri vsque ad mortem.* Obediuit matri & Ioseph. [u. Luc. 2.] u. Panem accepit *humilitatis*: quando *semetipsum* x *exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo.* [x. Philip. 2. 7.] Et vt ipse dicit de se [y. Matt. 20. 28.] y. *filius hominis non venit ministrari; sed ministrare*: in signum maximæ humilitatis suæ, z pedes lauans discipulorum. [z. Ioan. 13. 10.] Si panem non accepisset *patientiæ*: non de illo diceret Isaias. [a. Isai. 53. 7.] a. *Sicut ouis ad occisionem ducetur: & sicut agnus coram tondente se obmutescet.* Ad irrisiones, sputa, colaphos, flagella, crucemque nihil respondet. *De charitate* eius quid dicam? Audite Iohannem. b. [b. Ioan 13. 1.] *Cum dilexisset suos* inquit, *qui erant in mundo: in finem dilexit eos.* Pro c. crucifixoribus orauit. [c. Mar. 23. 34.]

Et cum gratias egisset, post panes scilicet acceptos: *distribuit discumbentibus.* [Gratus Deo & beneficus in alios.] Notate fratres. Prius gratias egit, & postea distribuit: vt doceret nos prius de perceptis donis Deo debere regratiari; ac deinde verbo vel exemplo proximis eadem impartiri. Fecit ergo homines discumbere super fœnum: vt conditionem suam cognoscentes de infirmitate se humiliarent: & de percipiendis donis non superbirent. Vere fœnum est populus. d. *Omnis caro fœnum: & gloria eius quasi flos fœni.* [d. Isa. 4. 6.] Verba sunt Isaiæ. Quam diu viuimus, fœnum in nobis viret: in morte vero arescit, & cadit flos eius.

[Vt eas Iesus distribuit.] Panem *voluntariæ paupertatis* Dominus distribuit, cum ait. e. *Qui non renunciauerit omnibus quæ possidet: non potest meus esse discipulus.* [e. Luc. 14. 33.] Panem *obedientiæ* distribuit, cum dixit. f. *Supra cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi: omnia quæ dixerint vobis facite: quæ autem faciunt, facere nolite.* [f. Mat. 23. 2.] Panem *humilitatis* distribuit, cum ait: g. *Discite à me quia mitis sum, & humilis corde.* [g. Mat. 11. 29.] Panem vero *patientiæ.* cum ait h. *Qui percusserit te in maxillam vnam: præbe ei & alteram.* [h. Mat. 5. 39.] Panem *charitatis* distribuit, cum dixit: *Mandatum nouum do vobis: vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos.* [i. Ioan. 13. 34.]

Pisces licet distribuerit Saluator, non tamen legitur illos accepisse: quia timor pœnæ, & spes gloriæ in illo non erat. Gehennam non timuit: quia k *peccatum non fecit, neque inuentus est dolus in ore eius.* [k. 1. Petri. 2. 22.] Habebat tamen naturalem timorem. Certitudo in illo spem excluserat.

Considerate etiam, quod non dicitur de panibus: sed, *de piscibus tantum, quantum volebat*, id est, sufficiebat. Et merito. Timor nimius sæpè mittit in desperationem: & spes mensuram excrescens, generat præsumptionem.

Numerus discumbentium erat quasi quinque millia virorum. Quinarius numerus est apostaticus: & significat præuaricationem. Quia frequenter per quinque sensus corporis in culpam labimur; necesse est vt sæpè dictis quinque virtutibus à cul-

culpa mundemur.

Vt autem impleti sunt: dixit Iesus discipulis suis: Colligite, quæ superauerunt, fragmenta ne pereant. Fragmenta sunt memoria digna virtutum exempla: de quibus maxima diligentia debet esse Prælato, vt aliquibus fratribus litteratis illa per scripta colligere præcipiat; ne per obliuionem pereant. *Cophini* sunt libri vel chartulæ, in quibus illa colliguntur.

N tempus & ordinē scriptorū Cæsarij

Ego siquidem Abbate meo præcipiente, & fratrum charitate instigante, duodecim sporte'las impleui ex fragmentis huiusmodi, Dialogum ex eis conficiendo duodecim distinctionum.

Benè autem ex quinque panibus & duobus piscibus duodecim cophini implentur: quia ex septenario surgit duodenarius, si pars altera per alteram multiplicetur. Legamus Collationes & Vitas patrum, necnon & Passiones sanctorum: & reperiemus in eis ex paucis virtutibus exempla innumerabilia.

Illi autem, homines, *cum audissent quod fecerat signum dixerunt: quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum.* Venit primum Christus in mundum, vt hominem homo factus redimeret: venit quotidie, vt redemptum gratia suę visitationis illustret: veniet in fine mundi, vt secundum merita sua vnumquemque remuneretur. Væ tunc illis, cui de perceptis muneribus non superauerint fragmenta, scilicet, virtutum exempla; qu bus famelici satientur id est, virtutum inopes informentur.

l. *Luc.* 16, 19.

Relinquat ergo vnusquisque nostram de donis Dei post se benedictionem, ne cum diuite l. qui *epulabatur quotidie splendide*, in inferno sepeliatur: sed cum Lazaro, de micis satiari cupientes, æterno conuiuio societur. Quod nobis concedat, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Iesus Christus Dominus noster Amen.

DOMINICA QVINTA QVADRAGESIMAE.

Secundum Iohan. Cap. 8.



IN illo tempore: dixit Iesus turbis Iudaeorum & principibus Sacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM Lectione.

Sermo XVII. *Literalis ferme totus.*

PRæsens sancti Euangelij lectio non nostra indiget expositione, sed multa consideratione. Manifestat nobis tam in verbis, quam in factis Filij Dei circa nos charitatem, patientiam, humilitatem. Charitatem: qua malis & ingratis beneficium prædicationis impendit: patientiam, qua verba salutis blasphemantibus non aspere, sed pacificè atque rationabiliter respondet: humilitatem, qua lapides furentium ipse omnipotens declinauit.

Finis Euangelij tripartitur.

Bonus tuto arguit malos.

Quis, inquit, *ex vobis arguet me de peccato?* subaudi, digne: sicut & ego vos argui dicendo; vos esse à diabolo, & desideria patris vestri vos velle facere. Qui sine peccato est, iuste & audacter peccantes poterit arguere Vnde Apostolus Tito scribit a. *teipsum prabe exemplum bonorum operum: in doctrina, in integritate, in grauitate.* Et de se ipso quid dicit? b. *Castigo corpus meum & in seruitutem redigo: ne, dum aliis prædicauerim, ipse reprobus inueniar.* Pri-

a. *Tit.* 2. 7.

b. 1. *Cor.* 9. 27.

Talis esto prædicator.

Prima laus prædicatoris cõsistit in bona vita; scilicet vt sic irreprehensibilem se auditoribus exhibeat, vt in eius conuersatione non inueniant, vbi detractionis, siue iustæ inuectionis dentem figant. Sermo eius dulcedinem non habet: quem vita culpabilis remordet. Vita mala, quæ hodie, heu, multis prædicatoribus vitã sacerdotalem deformat, ipsos prædicatores timidos efficit, & elingues.

Exemplũ mali pastoris facto reprehẽsi.

Hinc est, quod in quadam ecclesia prouinciæ nostræ, cũ Dominicis diebus sacerdos ad prędicandum verbum Dei pulpitum ascendit, eo quod malę vitæ sit, matronæ honestæ & benè natæ illũ confundere volentes, sub specie honoris, concubinam eius ante se stare compellunt, vultui sui pastoris illã obijcientes. Ac si dicat: Nos te non arguimus de peccato: sed ista. Quid prædicas non fornicandũ? ipse turpius fornicaris.

Quod si Christi verba tibi vsurpãdo dixeris: si veritatem dico, quare non creditis mihi? respondemus: Si veritatem prædicares; non tam audacter peccares. Quis tibi credet, si dixeris peccatoribus præparatã gehennam; cum tã licenter peccando quotidie ædifices ad illam? Huiusmodi verbis sępè oues inuehuntur in pastores, cùm verbum Dei prædicant. Nec mirum. Quidã ita obstinati sunt sacerdotes, vt peccata esse peccata non credant.

Exemplũ nõ credentis peccatũ esse peccatum.

Retulit mihi monachus noster Dominus Cæsarius, quondã Abbas Prumiensis, de quodam sacerdote verbũ detestabile; & multo detestabilius in opere. Si peccata, inquit, sunt peccata, sicut homines dicunt: nunquam saluari poterit anima mea. Respondente Abbate, quare; subiunxit ille: In hac nocte dormiui cum legitima cuiusdã: & hodie celebraui tres missas. Fuerat siquidem in ipsa nocte duplex festiuitas; scilicet Dominicæ diei, & sancti Laurentij martyris. Idẽ sacerdos admodum litteratus erat: sed quia fides scientiæ defuit; sine timore in culpam defluxit.

Considerans Dominus Iudæos minus libenter audire sua verba, subiecit: *Qui ex Deo est: verba Dei audit*, subaudi, libẽter. Signum prędestinationis est libenter & diligenter audire illud. Et quia Iudæi verbum Dei audire noluerunt, vel magis ex inuidia contempserunt: illico subiunxit:

Propterea vos non auditis, id est, audire non potestis: *quia ex Deo non estis*.

Exemplũ volentium breues cõciones.

Cum die quadam magister Alexãder, cognomento nequam, venisset in quẽdam Conuentum nigrorum monachorum, & quidam ex eis ob consuetudinem peterent, quatenus in Capitulo verbum Dei proponeret; illeque prom[i]sisset: a[l]ij eum sequentes dixerunt: Bone magister, loquimini nobis breuiter. Quibus respondit: libenter. Considerans quod minus libenter audirent, Capitulum intrauit. Qui cùm resedisset: in hæc verba Domini erupit dicens: *Qui ex Deo est, verba Dei audit: propterea vos non auditis, quia ex Deo nõ estis. Tu autem Domine miserere nostri.* Et adiecit: Est ne satis breuis sermo iste, fratres? Moxque surgens exiuit: nõ modicum illis confusis.

Aliquid habent excusationis qui indignum prædicatorem audire cõtemnunt

temnunt. quem & ipse Deus loqui
e.Psal.49 16. compescit dicens e. *Quare tu enarras iustitias meas: & assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam: & proiecisti sermones meos retrorsum.* & cætera. Qui vero sanctum, iustum, & innocentem audire contemnunt; sicut Iudæi Iesum, quem tamen audire tenentur: reuera ostendunt se ad Deum minime pertinere.

Litera explicatior. *Responderunt ergo Iudai, & dixerunt: Nonne bene dicimus nos quia Samaritanus es, & dæmonium habes?* Quia verbis Domini fuerant prouocati, quantum conuincitur ex responsione hac peruersissima; se similibus iniurijs vindicasse putabant. Quia se de nobilitate generis iactitabant: Dominus illos non esse filios Abrahæ per rationem ostendit. *Si filij*, inquit, *Abrahæ estis: opera Abrahæ facite.* Item quia mutata responsione dicebant, se esse filios Dei propter cultum Deo exhibitum; sicut illos ostenderat non esse filios Abrahę: ita nec filios Dei. *Si Deus*, inquit, *pater vester esset diligeretis me vtique. Vos ex patre diabolo estis: & desideria patris vestri vultis facere.* Videtur ergo secundum illorum intentionem talis esse sensus prædictæ blasphemiæ: Quia tu nos negasti esse filios Abrahæ: nos te dicimus Samaritanum: id est, à sanguine & semine Abrahæ prorsus alienū. Item quia nos asseris ex patre diabolo esse: nos te dicimus, habere dæmonium.

Respondit Iesus: *Ego dæmonium non habeo: sed honorifico patrem meum, & vos inhonorastis me.* Hoc in loco bonus Prælatus imitari debet Dominum suum. Si forte ob asperiorem correctionem iniuriatus fuerit à subditis in tātum, vt ei suum genus improperent dicentes: ignobilis es genere & aduena in hac prouincia, nunquid ingressus es vt dominaueris nostri? taceat. Dominus autem non se negauit esse Samaritanum: tam propter exemplum patientiæ & humilitatis: tū propter vim nominis. Interpretatur enim Samaritanus, custos: & de Domino scriptum est: d *Custodiens paruulos Dominus.* Quod si in tantum d.Psa 114 6. furoris lorū exarserit, vt dicant eum dæmoniosum; hoc negare poterit: quia spiritus malignus ad nullum bonum, Prędicatorem impellit.

Cum sanctum Malachiam, vt scribit beatus Bernardus, die quadam in ecclesia verbum Dei prædicantē quidam æmuli eius similibus blasphemiis iniuriarentur: tam terribili pœna diuinitus sunt multati, vt omnibus patesceret, prædicationis sancti Episcopi Malachiæ incentorem fuisse spiritum sanctum; illorumque blasphemiæ diabolum. Exemplū pœnæ cōtemnētis prædicatoris.

Quanta sit vtilitas in custodiendis sermonibus prædicationis, ostendit, cum subiungit: *Amen dico vobis: si quis sermones meos seruauerit, non morietur in æternum.* Iudæi verba Christi non intelligentes; neque differentiā inter mortem, & mortem habentes: responderunt: *Nunc cognouimus, quia dæmonium habes.* Quasi dicant: Vox tua non est hominis, qui mortalem se recognoscit: sed diaboli, qui mori non nouit.

Abraham mortuus est: & prophetæ: & tu dicis, si quis sermones meos seruat, mortem non gustabit in æternum. Sacra Scriptura quadrupliciter nobis mortem ostendit: culpæ scilicet, gratiæ, Mors quadruplex.

k natu-

naturæ, damnationis æternæ. Prima mors interfectrix est virtutum: secunda vitiorum: tertia corpus & animã dissoluit: quarta vtrumque æternaliter depascit. De morte culpæ dicit Dominus: e *Sine, mortuos sepelire mortuos.* Et Apostolus f. *Vidua in delitiis viuens viuendo mortua est.* De morte gratiæ siue pœnitentiæ iterum dicit. g. *Mortificate corpora vestra cum vitiis, & concupiscentiis.* De morte æterna legitur in psalmo. h *& mors depascet eos.* Sicut herba depasta semper recrescit: ita damnati semper reparantur ad pœnam. Hæc mors designata est per quartum mortuum, ad cuius suscitationem Dominus venire noluit: quia i. *in inferno nulla est redemtio.* Ecce hæc est mors, de qua Dominus dixit. k. *Si quis sermones meos seruauerit: non gustabit mortem in æternum.*

e Luc. 9. 60.
f 1. Tim. 5. 6.
g Colo. 3. 5.
h Psal. 48. 18.
Simile.
i Psal. 6. 6. Eccl. 41. 7.
k Ioan. 8. 52.

Iudæi mortem carnis intelligẽtes, Abraham, qui sermones Dei ante omnes seruauit, & prophetas, qui propter sermones Dei occisi sunt, mortuos scientes responderunt: *Quẽ teipsum facis? Respondit Iesus? Si gloriam meam quæro: gloria mea nihil est.* Audiant hoc illi, qui in prædicatione verbi non solum propriam gloriam ex scientia & eloquentia, sed turpe lucrum quærunt: quasi trufis ad huiusmodo negotium præmeditatis euacuando, & salutem animarum paruipendendo.

Quod autem sequitur, *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum. vidit, & gauisus est*, ad præsentiam eius corporalem referendum est: qua mundi tenebras verbo & exemplo illuminauit: quoniã multi reges & prophetæ voluerunt videre, & non viderunt. Diem hanc. Abraham, sicut & illi, in spiritu præuidit, & exultauit. Est autem sensus: Abraham fide vidit, & gauisus est: vos speciem videtis, & inuidetis.

Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes: & Abraham vidisti? Ex hoc loco facilè perpenditur, quantum eum despexerint. Cum ex intuitu faciei facilè cognoscatur ætas hominis, vultum eius considerare dedignabantur: vel si considerauerunt, tam remotum numerum posuerunt, ne considerasse viderentur.

Et dixit eis Iesus: Amen amen dico vobis: antequam Abraham fieret, ego sum. Et sunt hæc Christi verba non ad naturam assumptam: sed ad personam referenda. Abrahæ quidam posterior humanitate: sed prior diuinitate Vnde quidam de illo sic ait. In Sequentia Ecclesia.

Tempus mutans non mutaris: vaga firmans non vagaris.

Vis æternalis necesse: non mutat tuum esse.

Heri nostrum cras & pridem: semper tibi nunc & idem.

Tuum Deus hodiernum: indiuisum sempiternum.

Tulerunt ergo lapides vt iacerent in eum: quasi in blasphemum. Iesus autem abscondit se, & exiuit de templo. Magna pietas. Abscondit se ne fieret occasio manendo, vel respondendo peccati maximi. Vnde Apostolus nos admonet dicens. l *Date locum iræ.* Et poeta: l Rom. 12. 19.

Dũ furor in cursu est, currẽti cede furori.

Quod quia quidam sacerdotum nostri temporis contempserunt, fustigati sunt, & nonnulli occisi. Parisijs tempore quodam disputante Chri-

Exemplū multati Iudæi Christum ridētis.

Christiano cum Iudæo; cum occurrērēt præsens locus Euangelij: ait Iudæus subſtomachando: Certè, rectè fecit Deus veſter, quod fugit ſe abſcondendo: alioquin fuiſſet lapidatus. Audiens hoc quidam ſcholaris, zelo fidei motus, & fidei inimico ſatis indignatus, lignipedem de pede latenter ſoluit; caputque Iudæi grauiter illo percutiens cachinnando ſic ait: Et tu miſer, ſi tacuiſſes,teque abſcondiſſes;hac vice à me cæſus non fuiſſes.

Fratres, ſic ſeruanda eſt patientia, vt non recedatur à iuſtitia: quia vna virtus ſine altera Chriſto placere non poteſt. Vtrâque tamen in Chriſto, in quantum poſſumus, imitari debemus, vt pro vtraque à Chriſto in vita æterna remunerari mereamur. Quo nos perducat is, qui vita eſt, in exemplo, & vita in præmio: de quo nobis ſermo eſt, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, cui cum Patre & Spiritu ſancto hõnor ſit & imperium per æterna ſęcula ſæculorum. Amen.

IN RAMIS PALMARVM.

Secundum Matth. Cap.21.

IN illo tempore: *Cum appropinquaſſet Ieſus Hieroſolymis, & veniſſet Bethphage, ad montem oliueti; tunc miſit duos diſcipulos dicens: Ite in caſtellū,quod contra vos eſt;& ſtatim inuenietis aſinam alligatam; & pullum cum ea. Soluite; & adducite mihi.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XVIII. *De Confeſſione. De Tentatione. Deque exemplis bonis.*

VIa hæc Domini ac Saluatoris noſtri valde humilis eſt: & ideo humilem moralemque expoſitionem requirit. In nobis itinera illius ſunt. Ibi Ieroſolymam petit: ibi aſinam aſcendit: ibi à diſcipulis eius ſternitur: ibi cum ramis palmarum à turbis glorioſe ſuſcipitur.

Pax triplex eſt. 1. Mundi

Ieroſolyma, interpretatur, viſio pacis. Notum eſt triplicem eſſe pacem: temporis, pectoris, æternitatis. Ad primam Ieſus non aſcendit: quia ſalus in illa non conſiſtit. a *Non veni*, inquit, *mittere pacem: ſed gladium.* a Matt.10 34.

2.Cordis. 3.Cæli.

Pax vero cordis ſalutifera eſt, & de ſubſtantia meriti: quia ſine pace pectoris non videbit quis pacem Hieruſalem cœleſtis. Vnde Apoſtolus dicit. b *Pacem ſequimini: & Sanctimoniam*: ſine qua Deum nemo videbit. c. *Ipſe eſt enim pax noſtra*: pax vera & conſummata: qui daturus eſt nobis pacem ſuper pacem. b Hebr.12. 14. c Eph. 2. 14.

Quando Ieſus per gratiam ſuam menti humanæ ſe infundit, mox illam deſiderio videndæ, id eſt,experiendæ internæ pacis accendit. Quicquid gratia Saluatoris boni in nobis operatur, hoc illi principaliter aſcribendum eſt: ſecundario nobis.

Confeſſio neceſſaria eſt ad pacem.

Sed quid eſt quod Ieſus aſcendens Hieroſolymam in Bethphage ſubſiſtit: niſi vt virtutem confeſſionis nobis oſtendat? Interpretatur enim Betphage domus oris, vel labij, vel buccæ: quod idem eſt: confeſſionem ſignificans. d *Corde creditur ad iuſtitiam: orę autem confeſſio fit ad ſalutem.* Qui in hanc domum non deſcendit; Hieroſolymam, id eſt, pectoris ſui pacem non videbit. d Rom.10. 10.

Si vlcus in pectore fuerit intrinsecus; illudque per medicinam frangatur; pax ibi non erit; nisi sanies malè collecta per vomitum eijciatur. Sic est in Aduentu gratiæ. Licet vlcus peccatorum virtute contritionis soluatur; pax & sanitas cordi esse non poterit, nisi mala congeries per oris confessionē humiliter enomatur.

Sit autem humilis. Sonat enim Bethphage, domus vallium: quia humilis debet esse confessio.

Fiatq; Sacerdoti. Bethphage ad litteram viculus erat sacerdotalis: positus in pede montis Oliueti ex latere. Ad sacerdotes pertinet confessiones recipere, peccatorum vincula soluere: quia ipsis à Iesu e. data est potestas soluendi atque ligandi. Vnde non immeritò in viculo sacerdotali præcipitur discipulis f. asinam ligatam soluere. e Ioā. 20. 22. f Matt. 21

Et speret in misericordia. Benè autē Betphage, id est, domui buccæ, vel oris, continuatur mons Oliuarum: quia per humilem & sinceram confessionem consciētia peccatoris pascitur, vngitur, & illuminatur. Oliua ministra luminis est, & crescit in monte; quia confessio mētem exaltat per iustitiā: & clarificat per intensiorem charitatem. Vnde Dauid peccatorem ad confessionem hortatur, & dicit: g. *Reuela Domino viam tuam. & spera in eo & ipse faciet: & educet, quasi lumen iustitiā tuam.* Item quod iustitia ex cōfessione fit, audi Isaiam. h. *Dic tu*, inquit, *iniquitates tuas, ut iustificeris.* g Ps. 36. 5. h Isa. 43. 26.

Oleum etiam significat misericordiam diuinam. Sicut enim oleum alijs liquoribus infusum superenatat: ita *Dei misericordia* i. *super omnia opera eius* prædicatur. i Ps. 144. 9.

Pulchrè autem Bethphage posita est iuxta mōtem Oliuarum, quia qui peccata sua, sub spe veniæ cōfitetur, hic & in futuro misericordiam consequetur. Hoc sciens Propheta Dauid, exclamat dicens: k *Confitemini Domino, quoniam bonus quoniam in æternum misericordia eius.* A misericordia psalmum incipit, & in misericordia finit: singulos versiculos per misericordiam concludens. Simile penè habemus & Psalmo centesimo decimoseptimo. Hinc est quod in signum diuinæ misericordię grauiter infirmatus spe consequendæ veniæ oleo inungitur mater alij. l. *Et si in peccatis*, inquit, *sit*, *remittentur ei*. Verba sunt Apostoli Iacobi: qui extremæ vnctionis sacramentum instituit. k Psa. 135. l Iacob. 5 id est declarauit institutū.

Quod autem Betphage, quæ interpretatur domus vallium, posita est ad pedem montis Oliuarum; innuit, vt supradictum est, confessionem debere esse humilem & accusatoriam. Vnde in Ordine Cisterciensi optima consuetudo est, vt confiteri volens prius ad pedes Confessoris prosternatur: sicque ad verbum illius erectus confiteatur. Maria Magdalena ad pedes IESV posita, m. crimina sua confessa est; ibi veniam consecuta est. Humiliatio Confitentiū Monachorū. m Lu. 7. 38

Quid dixerim Iesum; nisi montem Oliuarum; nisi fontem misericordiarum? Ipse enim est mons luminosus, mons pinguis; in cuius natiuitate Romæ fons olei erupit; in signum pacis, & misericordiæ: quibus per ipsum plena est terra. Vnde & Christus dicitur, id est, vnctus. Vnxit illum Deus pater, n. *præ participib. suis, oleo lætitiæ*: vt nostra, qui peccauim⁹, n He. 1. 19.

vnge-

vngeret vulnera oleo misericordiæ. Quoniã proximus sit mõs iste Oliueti ori peccatoris in confessione; quoniã copiosus in misericordia pec catorum remissione; subsequens declarat exemplum.

Exemplũ saluati ex voto Confessionis.

Miles quidam nobilis, sed criminosus tempore quodam ab inimicis suis captus est. Et quia mortales erãt inter eos inimicitiæ: visum est eis expedire, vt in instãti occideretur. Cernens vir nobilis sibi mortem imminere, & nullum adesse remedium vitæ; supplici voce dixit ad illos: Rogo vos intuitu Dei, vt ad modicũ mortem meam differre dignemini; quatenus alicui sacerdotum peccata mea possim confiteri. Responderunt illi: Non esset nobis hæc dilatio tuta. Contingere posset, vt cognati & amici tui venientes eriperent te de manibus nostris; & esset error nouissimus peior priore. Cui cum præcepissent vt se prosterneret ad decollandum: dixit hoc verbum: Deus tu scis voluntatem meam. Et adiecit: Animam meam commẽdo virginis filio. Sicque decollatus est. Erat tunc temporis obsessus quidã in vicino, cui cùm dicerent aliqui audita morte tãti tyranni: modò magnum habetis gaudium, propter animam militis illius facinorosi: lugubri voce respondit: Nequaquam: vnum enim verbũ protulit, propter quod saluatus est. Si ob desiderium confessionis tãtum misericordiæ consecutus est miles iste facinorosus; quid sentiendum est de illis qui peccata sua confessi sunt; & post condignam satisfactionem de hac vita migrauerunt?

Ecce tali modo, veniente IESV Bethphage ad montem Oliueti, misit duos discipulos, dicens: *Ite in castellum quod contra vos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.* In castellum, inquit, quod contra vos est, subaudi positum: vel, vobis contrarium. Secundum hunc sensum *castellum* hoc puto significare carnem, secundum Apostoli testimonium, spiritui contrariam. *Spiritus*, inquit, o. *concupiscit aduersus carnem, & caro aduersus spiritum.* Hæc duo sibi inuicem aduersantur. In hoc castro *asina* est sensualitas: *pullus*, eius motus ex illa surgens; quæ duo in Aduentu IESV ligatur, id est, restinguuntur: ne inordinatè vagando rationem perturbent.

Carnis motus ligãdi sunt.

o Gal. 5.17

Benè autem à Bethphage, quæ interpretatur domus oris, Iesus ad soluendum asinam, & pullum eius, duos ex discipulis mittit; quia in confessione spiritus diuinis auxilijs, humanisque consilijs firmatur: ita vt extunc ad merendum sit habilior, & ad tolerandas passiones robustior.

Vt spiritus fiat robustior.

IESVS secundum nomen suum vult, vt anima, cui inest, per gratiam, semper in merito proficiat; cuius materiam atque causam maximam nouit esse tentationem. Vnde Beatus Iacobus Apostolus dicit: p. *Omne gaudium existimate fratres, cùm in tentationes varias incideritis: scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur: patientia autem perfectum opus habet.*

Maximè in tẽtatione.

p Iac. 1.3.

Discipuli IESV sunt dona gratiæ eius. Ex quibus duos mittit, vt tentationem excitent: spiritum scilicet consilij, & fortitudinis. Duo isti discipuli dicuntur fuisse Petrus & Philippus: ex quibus primus primum

Quã Deus sæpè suscitat.

Spiritu fortitudinis.

mum adduxit ad Iesum gentilitatem per Cornelium, eiusq; domum designatam: alter Samariam, id est, Iudæam. Benè autem donum fortitudinis per Petrũ exprimitur: quia

Et cõsilij.

Petrus à petra dictus est. Donum vero consilij per Philippum signatur; quia cum Iesus refecturus esset turbas in deserto, quasi consilium accepit ab illo. q *Vnde,* inquit, *ememus panes, vt manducent hi?* Hoc autem dicebat tentans eum. Licet ipse sit r. intentator malorum; sæpè tamen tentat nos, teste Moyse. s. *Vt videat, si diligemus eum.* t. *Nam virtus in infirmitate perficitur.* Quod Dauid sanctus attendens ait Dom no:u *Proba me Domine, & tenta me.* Quasi dicat: Considera metas infirmitatis meæ, & secundũ hoc stimulos tentationũ tuarum extẽde. Hinc est quod viros perfectos legimus nonnunquã tentationes sibi excitasse.

q Ioa. 6.5
r Iac. 1.13.
Cum prouẽtu bona
s Deu. 13.3
t 2. Cor. 12. 9.
u Psal. 25.2

Exemplũ proficiẽtis in tẽtatiõe

Quidam sanctus, vt legitur in Vitis Patrum, in maximo caumate vas aquæ ante oculos suos suspendit; vt ex ipsa contemplatione aquæ magis sibi sitis ardorem prouocaret: atque ex hoc amplius mereretur.

Aliud.

Alius quidam cum stimulum carnis tolerando nimis torqueretur; nunquam voluit orare Deum quatenus ab eo liberaretur: sed tantum sibi dari gratiam, qua posset resistere, cum instantia postulauit.

Ab vtroq; isto spiritu solutis ensus possũt.

Vnde & Dominus dixit, *Soluite,* subaudi asinam. Sensualitas in sensibus corporis est, vnde modicum motus eius à brutis differt. Asina soluitur, cum oculus laxatur ad circumspiciendum; auris ad audiendũ; os ad gustandum; nares ad odorandum; manus ad tangendum. Pullus vero soluitur, cum ex his delectationis motus sequitur. Pullus libenter sequitur matrem. Sed in his non est timendum, cùm ad imperium gratię per donum fortitudinis vterque soluitur, & per donum consilij regitur.

Exemplũ tentationẽ iussi excludere.

Cum ad Abbatem quendam duo venissent fratres; singulatim tamen: eumque interrogassent, vtrum plus expediret mox in initio cogitationes malas repellere; vel post ingressum: respondit primo: Statim eas repellas. Sequenti vero dixit: sine intrare, & pugna cum eis. Hoc ideò egit, sicut postea confessus est, quia priorem nouerat esse infirmũ, sequentem vero perfectum bellatorem. Vbi non est pugna, nec meritum.

Et admittere.

Victoria Deo adscribenda est.

Et quia victoria de pugna libenter atque frequenter mentem pugnantis extollit; cùm pręmisisset Dominus, *soluite:* protinus subiunxit, *& adducite mihi.* Ne quis in se quasi factis ex se Dei donis glorietur: vult Dominus, vt sibi victoria asseri batur. Vnde Dauid dicit: x *Non nobis Domine, non nobis: sed nomini tuo da gloriam.* x Psal. 113.1.

Diffidẽdũ sibi, Deo fidendum

Iohannes tamen mentionem facit de pullo asinino. Huius domini sũt timor, & verecundia: quibus lasciuia carnis semper est suspecta. Vnde non immeritò dicunt: *quid soluitis pullum?* Responderunt: *quia Domino necessarius est.* Vel secundum alium Euangelistam: *quia Dominus operam eius desiderat.* Noster enim prouentus, qui ex tentatione est; & Domino necessarius est; eũque desiderat: *quia delitiæ sunt ei esse,* & laborare *cum filiis hominum.* y Pro. 8.31.

Luc. 19.31.

Hoc

Hoc totum factum eſt, vt impleretur quod dictum eſt per Prophetam dicentem: Dicite filia Syon: ecce Rex tuus venit tibi manſuetus, & ſedens ſuper aſinam, & pullum filium ſubiugalis.

Læτādum animæ, cui ſpiritui ca ro ſubijcitur.

Syon, quæ interpretatur, ſpecula, anima rationalis eſt; quæ Deum, cuius habet in ſe imaginem, per cognitionem; & ſimilitudinem, per dilectionem; in præſenti ſpeculatur per fidem; in futuro ſpeculabitur per ſpeciem. Cui ſatis exultandum eſt, quando Chriſti gratia præſidente ſenſus carnis eiuſque motus, quaſi aſinus & pullus, ſpiritui ſubijciuntur; ne viſio pacis, id eſt, ſpiritus impediatur. Aſina enim interpretatur ſubiugalis, nomen habens ab effectu. Si corporum noſtrorum affector Dominus non eſſet; non diceret Apoſtolus: z. *glorificate, & portate Deum in corpore veſtro*. Et in Pſalmo Propheta. a. *Et iumentum factus ſum apud te.*

z 1. Cor. 6. 20.
a Pſ. 72. 22.

Et exēpla virtutū e. duntur, vel confideiā tur edita.

Veſtimenta diſcipulorum, exempla ſunt virtutum: vtputa, eſt opus fortitudinis alicuius Sancti contra luxuriam, vel gulam; opus conſilij & manſuetudinis alterius contra irā, odium, vel furorem. ſicque de cęteris. Cum exemplū caſtitatis ſancti Ioſeph tempore tentationis meę ad memoriam reduco: iumento gratiæ quaſi veſtem ſuperpono.

Quod autem diſcipuli poſt hæc Ieſum deſuper ſedere fecerūt; ad hoc ſpectat; quod, quicquid boni agimus, ipſi principaliter, à quo ſunt, aſſcribere debeamus.

Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via. Veſtimenta in via ſternuntur; cum virtutum exempla alijs imitanda proponuntur. Si delectant veſtimenta rubea; ſumantur exempla de martyribus: ſi hyacinthina, de Confeſſoribus: ſi byſſina, de Virginibus: ſi crocea, de Viduis: ſi pulla, de Pœnitentibus. In tunica polymita veri Ioſeph, ſiue in veſte ſtragula fortis mulieris, id eſt, eccleſiæ varij colores, ſcilicet diuerſorū Ordinum diſtinctiones, reperiuntur.

Alijs ad imitatio- nē cedūtur.

Qualia ſi:e Ordinum diuerſorū.

Alij autem cadebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Arbores iſtę, teſte Euangelio, palmæ & oliuæ fuere. Palma ſignum eſt victoriæ: oliua, pacis & miſericordiæ. Quando tentatio a carne, diabolo, ſiue à mundo inflicta perfectè vincitur; nonnunquam tanta pax ſequitur, vt victor de cætero per conſimilem tentationem non moleſtetur.

Vnde victoria & pax.

Hinc eſt quod ſanctus Benedictus, ſicut de illo legitur, b. cùm viriliter excitatæ voluptati reſiſteret, etiam pacem ex victoria meruit; vt deinceps, ſicut confeſſus eſt diſcipulis, nil tale ſentiret. Benedicere poterat iſte: c. *quaſi palma exaltata ſum in Cades*. Et Dauid de illo. d. *Iuſtus vt palma florebit: ſicut Cedrus Libani multiplicabitur*. Quantum idem poſtea multiplicatus ſit per numerum diſcipulorum, & exaltatus per gloriam ſignorum; nominus omnes.

Exemplū læutię ex tentatione
b *Apud Sur. in vita eius.*
c Eccl. 24. 18.
d Pſ. 91. 13.

Item ſi iuſtus propter pinguedinem gratiæ, lumen doctrinæ, & opus miſericordiæ, non eſſet oliua; de ſeipſo nequaquam diceret idem Pſalmiſta: e *Ego autē ſicut oliua fructifera in domo Dei*. Et meritò. Nam fructu Pſalmorum, quos ipſe protulit, vſque hodie plurimos in Eccleſia paſcit

Inde fructificatio.
e Pſ. 51. 10.

pascit, vngit, & illuminat. Totus siquidem positus erat in monte oliuarum, sperans in misericordia Dei in æternum, & in sæculum seculi.

Ex multa misericordia sustinuit f. Saulē siue g. Absalonem se persequentem: h Semei se maledicentem: i Ioab iustiores se occidendo, gloriam suæ famæ denigrantē. Quando huiusmodi misericordiæ exempla de illo, siue de alijs sanctis replicando, nobis siue proximis sequenda proponimus: quasi ramos de arboribus cædendo in via sternimus.

Et patiētia victrix. f.1.Reg.18. &c. g.2.Reg. 15. &c. h.3.Reg.2. i.3.Reg 2.

Præsens vita via est. Vnde est illud: k. *Beati immaculati in via*. Item. l *In via hac qua ambulabam absconderunt laqueum mihi*.

k.Psal. 118.1. l.Psal.139. 6.

Arbores palmarum erant martyres Christi, Stephanus videlicet, Laurentius, Vincentius, Georgius, Demetrius: alijque innumerabiles; qui in bello martyrij fide florentes, & per responsionis constantiam virtutum suarum ramos dilatantes, per passionis triumphum fructum fecere suauissimum.

Exemplis Sanctorū imitandis Deus honorandus est.

Arbores oliuarum fuere Doctores Ecclesiæ, viri pacis & misericordiæ: qui verbo & exemplo, necnon & scriptis suis multos illuminauerunt. Ex his erāt Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Gregorius: & alij innumerabiles. De huiusmodi arboribus ramos cædimus; dum in Oratorio, in claustro, in refectorio martyrum victorias, & Confessorum doctrinas audiendo vel legendo, ex eis aliqua corde retinemus. Quæ dum alijs prędicamus, Christo viam, qua ad illorum veniat mentem, floridam reddimus, & amœnam. Sequitur:

Turba autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur clamabant, dicentes: Osanna filio Dauid. Secundum intellectum moralem turbæ istæ sunt virtutes animæ interiores: quibus sæpe vitia turbantur, & ejiciuntur. Turbæ præcedentes signare possunt virtutes naturales: turbæ sequentes, virtutes spirituales. Naturalia in nobis tempore præcedunt gratuita. m *Fecit Deus primum hominem rectum*, in bonis scilicet, naturalibus: *& vestiuit eum virtute* id est, charitate, & cæteris gratuitis. *Ad imaginem & similitudinem Dei factus est.*

Itemque virtutibus geminis.

m.Eccl. 7. 30.

Quod hac duplici turba benedicendus sit Deus, testis est Psalmista cum dicit. n *Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius*, id est, Christo. Per animam intellige vires animæ, id est, rationalitatem irascibilitatem, concupiscibilitatē, cum cæteris naturalibus, vt est ingenium, intellectus, memoria. Per interiora vero, ea, quæ gratis infunduntur: vt est fides, spes, charitas: quæ gratiam Iesu comitantur. quibus & Deus speculatur. Non præcedentes, sed sequentes turbæ Iesum videre potuerunt.

Quibus benedicitur Deus. n Psa.103. 1.

Clamabant tamen omnes: *Osanna filio Dauid*. Osanna interpretatur saluifica. Benedictionem eius omnes postulabant. Et merito. Benedictio Domini, vt quidam ait, facit virtutes. Vnde propheta dicit in psalmo. o *Dextera Domini fecit virtutem: dextera Domini exaltauit me: dextera Domini fecit virtutem.* Triplex hic notatur status virtutum: habitus scilicet, motus, & actus. Dextera, id est, benedictio Domini, quæ fieri solet per dexteram, facit, vt virtutes infundantur. vnde & dicit: *dextera Domini fecit virtu-*

Et Benedictio eius petitur.

o.Psa 117. 16.


Quæ facit virtutes triplices, scilicet. 1 Habitus.

virtutem. Benedictio eius agit, vt ad meritum moueatur: vnde & protinus subiungit: *dextera Domini exal-*
2. Motus. *tauit me*. Ipsa etiam facit, vt in opere exerceantur, propter quod & concludit: *dextera Domini fecit virtutē*,
3 & Actus. id est, opus virtutis. Et notate quod tantum in medio dicit: *dextera Domini exaltauit me*. quia licet habitus, & opus virtutis hominem dignum faciant vita æterna: non tamen nisi per motum illam meretur.

Inde perfectio manat & salus. Quod autem sequitur: *Benedictus, qui venit in nomine Domini*: ad perfectionem virtutum pertinet, & conseruationem. Venit primo Iesus ad animam, vt per gratiam illam illuminet: deinde venit, vt charitatem in ea perficiat: nouissimè venit, vt in cœlesti Hierusalem virtutibus consummatam remuneret. Ad quam nos ducere dignetur, qui hodie humilis aselli humilimus assessor ad Hierusalem terrestrem venire dignatus est, IESVS CHRISTVS Saluator sæculi, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum; Amen.

IN DIE SACROSANCTO PASCHAE.

Lectio sancti Euangelij, secundum Marcum. Cap. 16.



IN illo tempore: Maria Magdalena & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata: vt venientes vngerent Iesum. Et reliqua

HOMILIA DE EADEM Lectione.

Sermo XIX. De passiõe Christi. De resurrectione peccatoris. Exordium & summa breuis.

SIcut præfati sumus in homilia superiore, vniuersorum quæ sacræ huius lectionis historia commemorat, intellectus tropologicus in nobis esse posse demonstratur. Intueor in te, ò peccator, post iustificationem mulieres cum aromatibus; monumentum cum custodibus; angelum de cœlo descendētem, qui territis militibus lapidem reuoluat, & resurrectionis gloriam deuotis fœminis ostendat. Sed Christus in nobis resurgere non potest per gratiam; nisi prius in nobis moriatur per culpam. Vt enim dignius atque iucundius celebremus gloriam resurrectionis; consideremus diligenter ordinem Dominicæ Passionis.

In passione Christi triplices personæ historice. In Christi Passione tria hominum genera commemorant Euangelia: principes Iudæorum, Turbas, & milites Herodis. Operati sunt in eius morte principes accusando; turbæ subclamando; milites crucifigēdo. De hoc triplici funiculo iniquitatis Christus Patri in Psalmo conqueritur, & dicit: a. *Domine, quid multi-* a Ps. 3. 2.
plicati sunt qui tribulant me? princi- 1. Principes.
pes scilicet & scribæ: qui contra me stantes coram Pilato, constāter accusabant. b *Commouet*, inquiunt, *po-* b Lu. 23. 4
pulum, docens per vniuersam Iudæam: incipiens à Galilæa. c *Multi insurgunt* c Psa. 3. 2
aduersum me: turbę videlicet clamā- 2. Turbæ.
tes, *crucifige, crucifige*. Pilato volente eum flagellatum dimittere, exclamauit vniuersa turba: d. *tolle hunc. crucifige crucifige*. 3. e *Multi insurgunt* dLu. 23. 21
aduersum me milites scilicet, qui e Psa. 3. 2.
me clamantē ad te: f *Hely hely lama-* 3. Milites.
sabathani, dicebāt: *Heliam vocat iste*. f Matt. 27.
Sine videamus si veniat Helias 46.
liberans eum.

Moraliter crucifixerunt Iesum peccata triplicia.

Secundum moralem intellectum: principes Iesum accusantes, peccatū exprimūt cogitatiōis: turbæ tumultuantes, peccatum locutionis: milites crucifigentes, peccatum operationis. In his tribus omne peccatum committitur. Vnde quotidie confitemur nos peccasse cogitatione, locutione, & opere. Si Iesus quotidie ab hoc triplici hoste non pateretur in nobis; non diceret per Prophetā

g Mal. 3. 9

Malachiam. g. *Et vos me crucifigitis gens tota.*

1. Peccatis cogitationis triplicis

In principibus tres erāt Ordines, vel potius sectæ, maiorem cæteris habentes potestatē: Pontifices, Pharisæi, & Scribæ. In peccato cogitationis tres sunt gradus, per tres ordines iam dictos designati: videlicet suggestio: delectatio: consensus interior vel voluntas. In hoc gradu peccatum mortale est.

II. Peccatis locutionis

Erant & in turba tres Ordines: nobiles scilicet, mediocres, plebecula. Significant autem tres gradus peccati qui sunt in locutione, id est, multiloquium, inaniloquium, prauiloquium. Hoc mortale. 1. Vitādum

1. Multiloquio.

est valde multiloquium; quia teste

h Pr. 10. 19

scriptura: h *in multiloquio non deerit*

i Ps. 139. 12

peccatum: i. *& vir linguosus non dirigetur in terra.*

k Diog. Laert in vitis Philos. & Stobæus. Apophthegmata.

k Xenocrates philosophus cum inter alios taceret, interrogatus cur hoc faceret, respondit quia locutum me aliquando pœnituit: tacuisse nunquam. l. Theocritus vero philosophus dicebat verbositatē mēdaciū

l Stobæus Serm.

longum. Quod abhorret paganus, vitare debet Christianus. 2. A quo

2. Inaniloquio.

etiam vitandum est & inaniloquiū, id est, sermo inutilis, quia Christus

m Mat. 12. 36.

dicit: m. *De omni verbo otioso, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii.* Si vis scire verbū

n In eamdem l. 1 ū.

otiosūm quid sit; lege n. Glossam, & amplius te terrebit. 3. Ante omnia vero prauiloquium fugiendum est.

3. In prauiloquio.

qu a teste Apostolo, o. *Corrumpunt mores bonos colloquia praua.* & est

o 1. Cor. 15. 33.

facilis descensus de lingua ad opus: quia p. *facilis descensus Auerni.*

III. Peccatis operis triplicis.

Possumus etiam in Ordine militari triplicem facere distinctionem: vt scilicet diuidatur in cēturiones, in milites, in satellites. Sunt & in peccato operis tres gradus; eo quod sit opus malum, deterius, pessimū. Opus malum est ebrietas: deterius fornicatio vel adulterium: pessimū, id est, valdè malum homicidium. De

Quorū vnū ducit in alterum.

vno horum facilè quis labitur ad aliud. quia, vt iam dictum est: *facilis descensus Auerni.*

Exemplū superbialis peccatis puniti.

Refertur de quodam sancto viro, quod tempore quodam propter suā sobrietatem, continentiam, & mansuetudinem, aliasque virtutes, cùm eleuatus fuisset in superbiam, facta est vox ad eum, quæ diceret: Elige tibi vnum ex his: scilicet vt inebrieris, vel vt forniceris, vel vt homicidium incurras. Futurum est enim: vt aliquo horum punitus humilieris. Ille verbis ad se factæ vocis credens; quod sibi videbatur minimum elegit, scilicet inebriationem. Quid plura? Inebriatus, & per illam à mēte deductus, procurāte diabolo mulierem incurrit: quam mox post peccatum, nimio se agitāte dolore, crudeliter occidit. Sicque de peccato ruit in peccatum. & est euidēs satis ruina hominis huius exemplū; quod aliquando per peccatum punitur peccatum. Hæc dicta sint de Passi-

one Iesu spirituali in nobis.

Nunc de gloria resurrectionis videamus. Ait enim beatus Euangelista:

In resurrectione itē triplices personæ.

Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome emerunt aromata, vt venientes vngerent Iesum. Et valde mane vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole. Ecclesia in picturis, quæ sunt libri laicorum, ostendit tres fuisse fœminas: quas omnes multi asserunt dictas esse Marias. Neque enim Marcus modū aduentus earum, causam & tempus, sine causa tam diligenter expressit. Cum fidem ædificet veritas historię; mores instruit, quę surgit ex his, virtus spiritualis intelligentiæ.

Sunt tres partes pœnitentiæ.

Venerunt, immò conuenerunt, vt dictum est, principes, turbæ, milites, vt Christum occiderent: venerunt & tres deuotæ mulieres, vt occisum vngerent. Maria Magdalenæ, quæ & peccatrix; significat contritionem cordis: Maria Iacob, confessionem oris: Maria Salomæ, subaudi filia, satisfactionem operis. In his tribus iustificationibus omnis pœnitentia consistit. Omnes Marię: omnes luminosæ. Venit contritio cōtra peccatum cogitationis: venit cōfessio contra peccatum locutionis: venit satisfactio exterior cōtra peccatum operis.

Ratio singularum.

Quod singulis Mariis adduntur cognomenta, non vacat à mysterio. Primam cognominat Magdalenam à loco: secundam Iacobi, à filio: tertiam Salomę, à patre. Magdalena interpretatur magnificans, vel turrensis: Iacobus, supplantans: Salome pacificans. Prima interpretatio cōgruit contritioni, quæ gratiam viuificando spiritum peccato depressum exaltat: secunda, confessioni; quæ vitia supplantat: tertia, satisfactioni; quę iustificandum Deo totaliter reconciliat. Contritio, & confessio delent culpam. Tertiæ Mariæ subiicetur nomen: quia duę precedentes iustificationes, id est, contritio & confessio sine exteriori satisfactione nonnunquam sufficiunt ad deletionem totius peccati: sicut exemplum habemus de Maria Magdalena.

Subalternæ partes 1. Contritionis.

Videamus nunc, quæ, vel qualia sint aromata singularum iustificationum. 1. *Aromata contritionis* sunt dolor & amaritudo cordis, de malis commissis & bonis interim omissis. Duo hæc designata sunt per mixturam myrrhę & aloes, qua vnctum est corpus IESV à Nicodemo.

2. Confessionis.

2. Aromata *confessionis* multa sunt, videlicet humilitas, amaritudo, hilaritas, deuotio, integritas, nuditas, accusatio; & alia plurima, quæ in confessione exiguntur: quæ per huiusmodi species aromaticas in Canticis canticorum expressa sunt. q *Cipri*, inquit, *cum nardo, nardus & crocus: fistula & cinnamomum cum vniuersis lignis Libani.* 3. Aromata *satisfactionis* sunt orationes, vigilię, ieiunia, peregrinationes, eleemosynæ, cum cæteris operibus misericordię. Ob huiusmodi membrorum suorum aromata sacrosancta dicit ecclesia: r *Sicut cinnamomum & balsamum aromatizans odorem dedi, quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. & quasi storax & galbanus, & vngula. & gutta, & quasi lybanus non incisus, vaporaui habitationem meam, & quasi balsamum non mixtum odor meus.*

q Cant. 4. 13.

3 Satisfactionis.

r Responsoriū ecclesiasti. in off. c. B. V. M.

Ecclesia istis gratiis mirè redolet. Speciomaria, quæ aromata terit, conficit, & vendit; apothecam, vestem, & manus aromaticas habere consueuit. Quid mirum si odorifera est sancta ecclesia; quæ vxor est cœlestis pigmentarij? s *Gena eius sicut areolæ aromatum: quæ consitæ sunt marnu artificis.* Vox eius est. t *Manus meæ distillaverunt myrram primam: digiti mei pleni sunt myrra probatissima.* Itē sponsus in eius laudem: *Odor vestimentorum tuorum sunt odor thuris.*

s Cāt.5.13

t Cāt.5.5

Ex comparantur 1. Fide. Quælibet prædictarum iustificationum nummo vno aromata sua comparat. *Nummus contritionis*, fides: sine qua nulla est remissio, etiam si peccator effundat sicut aquam cor suum ante conspectum Domini Dei sui. 2. Nummus *confessionis*, spes: sine qua inutilis est confessio; quia sub firma spe veniæ consequendæ, confitendū est. Vnde Dauid: x. *Sperate in eo omnis congregatio populi: effundite coram illo corda vestra*: scilicet in confessione. Quia nummus spei defuit Iudæ, culpam traditionis confitendo, nihil meruit gratię. 3. Nummus *satisfactionis* est charitas; sine qua omnis labor corporalis, vti sunt orationes, & eleemosynæ; infructuosæ sunt. Vnde Apostolus: y. *Si distribuero in vsus pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Propter quod dicit: z. *Omnia vestra in charitate fiant.*

2. Spe.

x Psal.61.9.

3. Charitate.

y 1.Cor.13 3.

z 1.Cor.16 14.

Tres hæ virtutes sunt pretiosissimæ. Fides, spes, charitas nummi sunt aurei optimi: quas cœlestis monetarius in homine sine homine cudere dignatur: per quas in anima totius Trinitatis imago reparatur. De fide dicit Apostolus Petrus in Epistola sua prima: a *vt probatio fidei vestræ multo pretiosior sit auro quod per ignem probatur.* 2. Charitas vero ipsa est zona illa aurea, qua Iohannes in Apocalypsi angelum præcinctū vidit ad mammillas.

a 1.Pet.1.7

b Apo.1.13

Quanti valoris sint aromata spiritualia, fide, spe, & charitate comparata, vel quantum eis vngi, id est, placari delectetur gratia diuina, vno ostendam exemplo.

Exemplū celebrātis indignè, ablatique Sacramēti. Idem in Dial.li.2. cap.5.

Ex relatione Domini Conradi quondam Halberstadensis Episcopi, nunc monachi Ordinis nostri: veraciter didici quod dicturus sum. Cum sacerdos quidā ante nō multos annos, in nocte quadā natalis Domini, de villa transiret in villā, matutinas & Missarum solemnia illic celebraturus: Mulierem in agro offendit & incurrit. Perpetratā culpā tam nefaria, cum sacerdos alius non adesset; nec aliquam necessitatem certam prætendere posset; ecclesiam intrauit: dictisque matutinis, Missam de nocte inchoauit. Facta vero transubstantiatione, ipso aspiciente, columba niue candidior super altare descendens, totum, quod erat in calice, ebibit: sicque rostro hostia sublata celerius auolauit. Quid plura? Simile actum est de Missa in mane: necnon & in Missa de die. Ecce in hoc peccatore habemus euidens exemplū, quod IESVS in nobis crucifigatur eo ordine, quo supradictum est.

Gradus & ordo peccantis.

In agro illo intueor sacerdotes IESVM accusantes, per diabolicam suggestionem: Pharisæos, per suggestionis delectationem: scribas, per consensum interiorem. Consi-

dero

dero in eodem ſacerdote turbas clamantes crucifige, crucifige, per mutuam de opere nefario cum mulиere collocutionem: milites crucifigentes, per operis executionem. Ecce tali ordine gratia Ieſu in nobis extinguitur.

Gradus & ordo reſipiſcentis.

Iam dicto ſacerdote poſt trinam ſacramenti ſubtractionem territo nimis; ſuſcitauit in eo Chriſti miſericordia Mariam Magdalenam, id eſt, cordis contritionem; & Mariam Iacobi, ſcilicet oris confeſſionem; & Salomæ, id eſt, promptiſſimam ſatisfactionem: quibus tali ordine gratiam ſalutarem vngere, id eſt, mitigare meruit, & recipere; necnon & gloriam reſurrectionis illius videre.

Côfeſſo & ſacrificâti redduntur hoſtiæ & ſanguis Chriſti.

Veniens autem ad quendam Abbatem Ordinis Ciſtercienſis, quid commiſerit, quidve in ſacramento geſtum ſit, cum multis lachrymis & ſingultu cordis confeſſus eſt. Ille, ſicut homo prudens, aromata allata, id eſt, virtutem contritionis, & confeſſionis probare volens: pœnitentiam iniungendam diſtulit dicens: Vade, & dic Miſſam; moxque reuertaris. Iuit ille, & celebrauit: & ecce ante horam ſumptionis columba rediens tres hoſtias, quas ſigillatim tulerat, roſtro referens, & trium Miſſarum liquorem de gutture ſuo eructuans, calici immiſit, & auolauit. Sacerdos hæc videns, & cum multa cordis lætitia dona cœlitus ſibi tranſmiſſa ſumens; ad Confeſſorem rediit; quid actum ſit, retulit: &, vt ab eo Ordini incorporaretur, inſtanter petiuit. Cui Abbas: Non te hoc tempore ſuſcipiam: ſed volo, vt mare tranſeas, & tribus annis pro peccato tuo infirmis ſeruiendo Deo ſatisfacias. poſtea, ſi reuerſus fueris, & volueris, ſuſcipiam te. Quod ita factum eſt. Sequitur de tempore:

Pœnitêtia triennalis ei datur.

Initiû conuerſiônis eſt à gratia per charitatem.

Et valdè mane vna Sabbathorum veniunt ad monumentum: orto iam ſole. Manè cœperunt ire, & in ortu ſolis venerunt ad monumentum. Mane ſignificat initium gratiæ: de quo Iſaias: c. *Erumpet quaſi manè lumen tuum: & ſanitas tua citius orietur.* Ortus ſolis, profectus eſt charitatis. Vnde Debora in Cantico ſuo dicit: d. *Qui diligunt te Domine, ſicut ſol in ortu ſuo ſplẽdet, ſic rutilent.*

c Iſa. 58. 8.

d Iud. 5. 31.

Qualitas temporis deſignatur, cùm dicitur: *vna ſabbathorum* Matthæus ſic dicit: *Veſpere autem ſabbathi, quæ luceſcit in prima ſabbathi,* & cætera.

Progreſſo eius ſignificatur per numerû & ordinẽ dierû Paſchalium.

Dies illa & vna erat, & prima. Vna priuilegio dignitatis; prima ratione temporis. Prima erat poſt Sabbathum. Solemnitas Paſchalis ſeptem diebus protelabatur. Diluculum vero Dominicæ reſurrectionis, quod & veſpera dicitur, finis erat Sabbathi Iudaici, & initium Dominicæ diei. In Sabbatho Iudæorum nec Ieſus quæritur, nec videtur: ſed in illa die, in qua *dixit Deus,* e. *fiat lux,* viſa eſt lux. Quæ lux? Ille qui dixit: f *Ego ſum lux mundi.*

e Gen. 1.

f Ioã. 8. 12

Gradus eſt ſabbatizare à vitiis.

Tempus Dominicæ reſurrectionis necnõ & ſinguli dies hebdomadę Paſchalis, ſpirituali intelligentia pleni ſunt. Veſperã Sabbathi Iſaias notat, cum dicit: g *quieſcite agere peruerſe.* Ortũ vero lucis mox exprimit cũ ſubiũgit: *diſcite bene facere.*

g Iſa. 1. 16.

h *Psal. 36. 27.* Item psalmista aliis verbis. h. *Declina* inquit, *à malo*: vt sabbatum tuũ otiosum, & ideo vitiosum vesperam, id est, occasum habeat. *& fac bonum*: vt in virtutibus lucescat. Requiem esse in vitijs testatur diues ille Euangelicus, cum dicit: i *Luc. 12. 19.* *Anima mea multa habes bona reposita in annos plurimos: comede, bibe, & quiesce.* Cæteri dies sabbati, id est, solemnitatis paschæ, sunt diuersæ species requietionis electæ animæ: in quibus bonis operibus vacando, dies festus Domino celebratur. (Secundus Bene agere.) Cum Dominus Deus decem præcepta in duabus tabulis dedisset filijs k *Exod. 20. 8.* Israel: de sabbato sic ait. k *Memento, vt diem sabbati sanctifices*: id est sancte & spiritualiter intelligas. Vnde propter quædam opera in sabbato facta, l *Ioan. 9. 16.* Iudæi legis transgressorem illum iudicantes aiebant, l. *Non est hic homo a Deo, qui sabbatum non custodit.*

Dierum eorum mysteriũ. Prima sabbati, id est, prima dies post sabbatum, est requies a vitijs. Sabbatum enim interpretatur requies. Secunda sabbati est requies peccatoris, quæ est in virtutibus. Tertiã sabbati intelligo requiem monasticæ conuersionis. Quarta sabbati est requies contemplationis. Quinta sabbati requies est beatę mortis. Sexta sabbati, id est, Sexta dies a sabbato, quæ & Septima, vt, A, ponatur inclusiue, quæ & cæteris solemnior erat; requiem significat æternitatis: in qua ob omni opere serui.i electi sabbatizabunt.

1. Sabbatũ à vitijs cessatio. De sabbato, id est, requie à vitijs dicitur, m *Eccl. 21. 1.* m *Peccasti: quiesce.* 2. De requie pectoris ait Isaias n. n. *Isa. 58. 11.* *Requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus*, id est, virtutibus, *animam tuam.* (2. Sabb. cordis) 3. De sabbato (3. Sab. Mo-) monasticæ quietis David loquitur in psalmo: o *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ: & volabo & requiescam.* (nasticæ. o *Psal. 54. 7.*) Loquitur autem in eius persona cuius libet hominis secularis, conuerti volentis, & non valentis. Et est sensus: Quis mihi in diuitijs & delicijs depresso, vxore, liberis, parentibus, & amicis circumdato, dabit alas, scilicet amoris Dei, & contemtus mundi; quibus euolem in solitudinem vitæ spiritualis? Si vero, si euacarrero; insequentes retrahent, impedient & reducent me. His alis Antonius, Arsenius, alijque innumerabiles euolauerunt: mundo facti super ores. Volatus talis quam sit difficilis; nec tamen Deo ad præstandum impossibilis, mox ostendit, cum sub qua iam admiratione subiungit, dicẽs. p *Ecce elongaui fugiens, & mansi in solitudine* p *Ibidem*

4. De requie contemplationis habemus in libro Nehemiæ præceptum; q ne omne onus inferretur in portas Hierusalem in die sabbati. (4. Sabb. Contemplationis. q *2. Esdr. 13. 19.*) Hierusalem est anima contemplatiua: cuius portæ sunt sensus exteriores. Valde cauendum est, ne tempore orationis, quando soli Deo vacandum est, aliquod onus terrenę actionis videndo, audiendo, & sic de cæteris sensibus, introferatur; per quod requies contemplationis perturbetur.

5. De sabbato dissolutionis Iohannes dicit in Apocalypsi. r. *Audiui vocem de cælo dicẽtem mihi: Scribe Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant a laboribus suis. Opera enim illorum sequuntur illos* (5. Sab. Obdormitionis. r. *Apoc. 14. 13.*)

6. De sabbato æternitatis ait beatus Apostolus Paulus. s *Festinemus ingredi in* (6. Sabb. beatitatis. s *Heb. 4. 11*)

t Isai. 66. 23. di in illam requiem. Item Isaias. t *Et erit mensis ex mense & Sabbatum ex*
u Isai. 58. 13. *Sabbato*. Ecce fratres, hoc est sabbatum sanctum, i. sabbatum dedicatum,
x Psal. 92. 1. sabbatum sabbatorum, vesperam nō habens, sicut legitur in titulo: x *Dominus regnauit, decorem indut*. Et hoc pro significatione, quia requies, quæ pro labore operum datur, fine carebit. Sabbatum dixit sabbatorum, ob duplicem requiem; corporis, & animæ. *Festinemus ergo ingredi in istam requiē*. Qui enim in senario vitæ præsentis pro Christo laborare noluerit, in sabbato futuræ resurrectionis in regno Christi requiescere cum Abraham, Isaac, & Iacob non poterit. Reuertamur nunc ad primam sabbati: & ad monumentum Iesu veniamus. In extremo sabbato non inuenietur in monumento; sed in cœlo.

Sabbatum corporis in sepulcro. Sequitur. *Et dixerunt adinuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Monumentum dicitur à monendo: eò quod viuentes moneat, quid futurum sit. In monumento corpus
y Psal. 15. 9. defunctum sabbatizat, diem resurrectionis expectans. Vnde in psalmo: *caro mea requiescet in spe*. In
z 1. Cor. 15. 51. qua spe? In spe vt. que gloriosæ resurrectionis. z *Omnes quidem resurgemus sed non omnes immutabimur*. De
a Isai 11. 10. monumento corporis Christi dicit Isaias. a *Et erit sepulchrum eius gloriosum*: Pro quo Septuaginta Interpretes posuerunt, *requies*.

Memoria mortis Iesu necessaria pœnitenti. Monumentum Iesu memoria mortis eius est: sine qua omnis pœnitentia infructuosa est. Cum quanto studio monumentum hoc sit quærendū, & cum quanto desiderio inuisendum
b Isai. 26. 9. propheta docet cum dicit. b *Domine nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ*. c *Anima mea desiderauit te in nocte*: cum ad huc tenebræ essent
c Gene. 1. super terram. d *Sed & spiritus meus in præcordiis meis. de mane vigilabo ad*
d Isai. 26 9. *te*. Et bene de mane: quia e *quasi diluculum præparatus est egressus eius*.
e Ose. 6. 4.

Qua duritiem cordis caro seruat. Lapis positus ad ostium monumenti, significat quandā cordis duritiam, quæ etiam in pœnitentia manet; dulcedinem & aspectum, quæ est in meditatione Dominicæ mortis, impediens. Hunc lapidem milites Herodis, id est, vitia carnis obseruant: ne gloria resurrectionis, quæ in anima fit post ruinam, contemplari possit, motibus immundis prohibentes.

Ideo animus semper est virtualiter, aut habitualiter pœnitens. Mutua mulierum collocutio significat, quod peccator, maximè criminosus, nunquam esse debeat fine aliqua pœnitentia. Semper in eo cordis contritio confessionem mouere debet ad emundationem conscientiæ: confessio vero satisfactionem, ad mortificationem culpæ.

Sicque cor durum remouetur. In tam feruenti studio *respicientes*, id est, Christum pro peccatis humanis mortuum attendentes, frequenter contingit; vt lapis duritiæ cordis virtute Dominicæ passiōis reuoluatur. Apostolus f. gloriatur, ostium
f 2. Cor. 2. 12. sibi apertum in prædicatione; quod duritia auditorū prius obstruxerat. Quis lapidem sanctis mulieribus reuoluerit; Matthæus apertius ostendit.

Per gratiā deuotionis. *Angelus*, inquit, *Domini descendit de cœlo: & accedens reuoluit lapidem*. Angelus iste, gratia deuotionis est: quæ cor lapideum facit carneum. Est autem deuotio speciale Dei donum; doloris remedium; gratiæ resurgentis euidens indicium. Hæc dum menti

cœ-

cœlitus infunditur: omnis illico duritia reuoluitur.

Quæ tamē nō semper sentitur cum volumus.

Nec dicitur angelus lapidem totaliter sustulisse; sed tantum amouisse; quia nullus adeo sanctus est, qui non aliquando lapidis huius duritiam sentiat, & in quo contemplationis gratiam non impediat. Quod gratia deuotionis incertis horis & locis de cœlo descendat, nouimus: quia tempore sacrificij, & in diuinis laudibus quandoque haberi non potest, etiam cum plurimum pro illa laboretur: & nonnunquam horis atque locis omnino minus idoneis, cum non speratur, infunditur.

Deuotio subinde vultu coruscat.

Erat autem aspectus Angeli sicut fulgur: & vestimenta eius sicut nix. Deuotio tantæ virtutis est; vt etiam foris coruscet in vultu. Videmus aliquando monachos, naturaliter pallidos, tempore deuotionis facies habentes tam igneas, vt oculi eorum scintillare videantur. & quendam nobis reuerentiæ timorem incutiāt.

Exemplū deuoti in oratione.

Hoc legitur de sancto Arsenio: hoc etiam refertur de beato Dauid claustrensi monacho. Hunc cum quidam sacerdos videre volens, ad monasterium venisset; ex ordinatione Dei in dormitorio iuxta gradus illum iacentem reperit in oratione. Erat autem facies eius quasi fulgur, ex vi deuotionis, quæ eum in eodem loco deposuerat. Et grauiter scandalizatus sacerdos, putans ex hesterna ingurgitatione vini eidem id accidisse; quid vidisset Priori retulit. Ille de signis beati viri sciscitans, & ex relatione sacerdotis demum Dauid illum fuisse recognoscens ait: Ille est, quem quæritis; causam ei deuotionis aperiens.

Præ timore autem eius exterriti sunt custodes: & facti sunt velut mortui. In fulgore splendor & terror: in niue iucunditas. Deuotio virtutes irradiat; vitia territat & infirmat; conscientiam exhilarat. Et benè dicuntur facti velut mortui: quia per gratiam deuotionis vitiorum fomes non exstinguitur, sed restringitur.

Deuotio territat nec fomitem peccati tollit.

Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem à dextris, coopertum stola candida: & obstupuerunt. Iuuenis iste Angelus est, de quo dictum est; significans deuotionem: eò quod spiritum, peccatis inueteratū, floridum reddat & decorum. A dextris IESV sedet: quia in bonis spiritualibus, quæ ad dexteram pertinent quiescere nos facit. Vnde in psalmo. g. *A dexteris est mihi ne commouear. propter hoc lætatum est cor meum.* & cætera.

Spiritum tamen recreat.

g. Psal. 15. 8.

Nolite expauescere: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum. surrexit: non est hic. Post verba consolationis, pœnam commemorat passionis: vt amplius lætificet per nuncium resurrectionis. Tria hæc operatur spiritus deuotionis in pœnitente. Animam consolatur per dulcedinem orationis, & desiderium patriæ cœlestis; ad memoriā quidem peccatū reuocans: sed spe veniæ eandem corroborans. Penè omnium doctorum moderni temporis opinio est, hominem nescire vtrum charitatem habeat, nec ne: nisi ex reuelatione. Deuotio vero vnctio Dei est, animam de omnibus instruens.

Effectusq; plures operatur.

Ecce locus vbi posuerunt eum Et in alio Euangelista. h *Venite & videte locum.* Ex his constat IESVM plurimum posse placari, si passio eius ad me-

h Matt. 28. 6.


memoriam reuocetur.

Per hoc autem quod sequitur: *ite, dicite discipulis eius, & Petro: quia pracedet vos in Galilaeam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis*: ad virtutem & munditiam pertinet monasticae religionis. Galilaea interpretatur transmigratio facta. quae duobus modis fit: scilicet de vitijs ad virtutes: & de vita saeculari ad spiritualem. In hac radius visualis clarior esse solet: eò quod puluis terrenae actionis illum minus obnubilet. Hanc visionem Christi praedixit cum ait. i *Beati mundo corde: quoniā ipsi Deum videbūt*. Specialiter Petrus exprimitur: quia, vt vita saecularis deseratur, maximè Fortitudinis virtus, quae per Petrum expressa est, requiritur. Vere beati, & ter beati erunt, qui sic in praesenti cum aromatibus Iesum vngere meruerunt: vt in die resurrectionis digni habeantur illum in gloria sua videre, & cum illo in montem regni coelestis transmigrare. Quò nos perducat, qui hodie in aeternum victurus resurrexit, id est, Dominus noster, Iesus Christus, cui cum Patre & Spiritu sancto decus sit & imperium per infinita saecula saeculorum. Amen.

i Matt. 5.

DOMINICA PRIMA POST PASCHA.

Secundum Iohan. Cap. 20.



IN illo tempore: Cum sero esset, die illa vna sabbatorum, & fores essent clausae, vbi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum: venit Iesus: & stetit in medio eorum, & dixit: *Pax vobis*. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XX.

NOn tam diligenter Euangelista tempus & locum Dominicae apparitionis expressisset, si non in vtroque sacramentum attendisset. Notate rem, fratres, consideratione dignam. Saluator, qui die clara, & in loco publico passus est, diluculo resurgere, & prima resurrectionis suae gaudia sero, clausisque foribus discipulis manifestare voluit. Exemplum nobis dedit; vt & nos ita faciamus. Ait enim quodam in loco. a *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus; vt videamini ab eis. Alioquin mercedem non habebitis apud patrem, qui in coelis est. Et cum oratis, non eritis sicut hypocritae: qui amant in synagogis, & in angulis platearum stantes orare; vt videantur ab hominibus. Amen dico vobis; receperunt mercedem suam*. Quomodo, vel vbi sit orandum, protinus subiunxit. *Tu*, inquit, Christiane, *cum orabis, intra in cubiculum tuum; & clauso ostio tuo, ora patrem tuum in abscondito*. Quod docuit, hoc fecit. In monte solus b. orauit: & hoc in nocte. Similiter & in passione semotus à discipulis c. orauit. Non tamen locus apertus semper vitandus est orationis tempore; sed vitium inanis gloriae.

De laude humana fugienda.

De memoria peccatorum cōseruanda.

De absoluente sacerdote.

Paciendū in publico Bene agēdum in occulto

a. Mat. 6. 1. 5.

b Luc. 9.

26. 20.

c Mar. 14.

26.

Domus animae corpus est. Huius ostia sunt sensus exteriores: scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, tactus. Habet & anima sensus suos interiores. Discipuli Iesu sunt dona gratiae salutaris; vt est oratio, ieiunium, eleemosyna; & his similia; in quibus salus animae consistit. In huius-

Propositio moralis.

iusmodi virtutibus, seu virtutum operibus, fores claudendæ sunt propter metum Iudæorum.

Laus hominum fugienda.

Iudæi interpretantur laudantes vel glorificantes. Si non esset hoc genus hominũ valde discipulis IESV, id est, donis gratiæ salutaris timendum; vir sapiens non diceret: d *Præsentem laudare, & ladere non expedit*. Vnde Ecclesiasticus. e *Ante mortem non laudes hominem quenquam: in filiis suis agnoscitur vir*.

d Seneca in Epist. e Eccl. 11. 30.

Primo laudantium mala.

Duo sunt genera laudantium siue glorificantium. 1. Quidam in aliis laudant, quod laudandum non est: quibus per Isaiam dicitur: f. *Væ qui dicitis bonum malum*. Et beatus Gregorius super illum locum: g. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*, dicit: *Mortuus mortuum sepelit; cum peccator peccatorem aggere adulationum premit*. Alij aliorum virtutes laudant vt eis placeant: hi oleum in Aegyptum venale portant. Tale oleum iustus emere non debet; sed dicere cum psalmista: h *oleum peccatoris non impinguet caput meum*.

f Isa. 5. 20. g Luc. 9. 60.

Secundo adulantium per bona.

h Psal. 140. 5.

His claudendi sensus sunt externi.

Huiusmodi Iudæis religiosi fores aurium suarum claudere debent in quantum valent, tam exteriorum, quam interiorum. Exteriores ne sonos virulentos auditu percipiant: interiores, ne in eis delectando gratiam perdant. Vnde illos etiam cõpescere debent, vel ab eis declinare: quia i. *qui obseruat nubes*, delectando in sermonibus adulatorum, *numquã metet* bona opera interim faciendo.

i Ecc. 11. 4.

Exemplũ.

Quod timens vir quidam sanctus, sicut scribit beatus Gregorius in dialogo, cum eum rusticus quidam videret, despiceret, & à multis laudatũ vituperaret; in vituperantis amplexus cum gaudio ruit, non hostem sed amicum illum iudicans.

Tertio laudantiũ vere & bene, sed periculose.

Sunt & alij qui proximorum virtutes eis audientibus non adulatorie sed pia intentione laudant & glorificant: ad hoc scilicet, vt in illis amplius proficiant. Virtus laudata crescit. Talis laudatio vix esse potest sine periculo: quia licet quibusdam sit causa proficientis gratiæ; alijs tamen materia fit inanis gloriæ. Vnde fores discipulis Iesu claudendæ sunt propter metum Iudæorum. Vt enim taceam de laude sanctitatis interioris; vix erit absque periculo, si laudetur vox in cantante, lingua in prædicante, manus in scribente: & sic de cæteris. Vnde præsentialiter nemo laudandus est: quia *in filijs*, id est, in operibus *suis agnoscitur vir*. Reuertamur ad superiora. Ait enim Euangelista.

Cum sero esset die illa vna sabbatorum. Tria hic commemorantur: dies, serò, & sabbatum. Dies dicitur à dyan, quod est claritas. Quantum Christus diligat in electis suis operam claritatem; manifestius ostendit cum dicit: k. *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est*. Non dicit, vt glorificent vos; sed patrem: vt nobis vespere, ei vero manè adtribuatur. l *Factum est vespere, & mane dies vnus*. Nihil boni gratia in nobis sine nobis operatur; cum tamen gratis infundatur. Dies operum nostrorum licet in se clarescat; sero tamen semper appetat: ne videlicet opera bona ostentaliter fiant.

Ergo opera bona fiant in luce quidem.

k Matt. 5. 16.

l Gen. 1.

Sed non in laude quæsita.

Sero videtur descendere à sera: eo quod in fine diei fores serētur, propter

ter timores nocturnos. Licet bonum sit alios verbo & exẽplo illuminare; tamen tutũ est in his gloriam & laudem humanam non quærere; sed vitare: ne opera nostra finalia mercede priuentur. Et signanter sine determinatione positum est: *die illa*: vt intelligatur de omnibus operibus bonis.

Et fiant in Sabbato à vitijs.

Quod autem additur: *vna sabbatorum*: significat; quod in omni actione bona sit quiescendum, & à vitijs feriandum. Sabbatum interpretatur requies. Diuersos dies sabbati huius in superiori Homilia, prout ipse inspirauit, de quo sermo est, Christus qui est Pascha nostrum, distinximus.

Sic ijs IESVS interest medius.

In tali tempore veniens in cor aditu obserato propter inanem gloriam, stat in medio discipulorum, id est, virtutum: vt omnibus subueniat, omnes promoueat, omnes conseruet. Vnde Iohannes in Apocalypsi m. vidit illum ambulare *in medio candelabrorum aureorum*. Septem hæc candelabra significant vniuersitatẽ virtutum, siue septem dona spiritus sancti; quibus anima Christiana illuminatur. Semper Iesus vult esse in medio: vt omnem circumferentiam illustret & illuminet; & non sit, qui eius gratiæ desit. In medio terræ, in medio cœli, in medio cordis.

m *Apo.* 1. 13.

Nec periculum est vanitatis.

In medio stans quid dicit? *Pax vobis*. Ac si dicat virtutibus: Non sic pericula humanæ laudis metuatis; vt virtutum opera proximis subtrahatis.

Alias aut opere, aut intentione rursus plagatur Christus.

Et cum hoc dixisset; ostendit eis manus & latus: in quibus fuerat vulneratus. Per manus intelliguntur opera: per latus, in quo cor continetur, cogitationes, & voluntates. Cum operatur mala volũtate mala facimus; Christum per gratiam in nobis habitantem in manibus, & in latere configimus. Vnde cum ei Zacharias diceret. n *quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* Respondit: *His plagatus sum in medio eorum qui me diligebant*. Postquam resurrexerit in nobis gratia; magnum & præcipuum est, contra laudis humanæ gloriolam antidotum, memoria peccatorum.

n *Zach.* 13. 6.

Prius *Iesus* ostendit manus, deinde latus: quia licet voluntas præcedat opera; sunt tamen eiusdem voluntatis; siue bona siue mala sint manifesta indicia.

aut vtroque plerunque.

Nec creditur in eisdem membris Iesus ostendisse vulnera; sed obductas cicatrices: quia dimissa culpa, plurimum, vt dixi, necessaria est male commissorum memoria. Vnde Dauid in persona pœnitentis dicit: *Miserere mei Deus secundum magnam misericordiam tuam*, & cætera: vsque illuc: *& à peccato meo munda me*. Et quasi ei diceretur; quare miserebitur tui Deus? respondet: *Quoniã iniquitatem meam ego cognosco: & peccatum meum contra me est*, vel, coram me, *est semper*. Et contra me, & corã me. Contra me; vt semper accuset: coram me; vt nunquam à memoria recedat.

Memoria peccatorũ conseruãda est.

o *Psal.* 50.

Gauisi sunt ergo discipuli viso Domino. Videre sæpè ponitur pro sentire: vt ibi. p *Video aliam legem in membris meis*: id est, sentio. Quando anima pœnitẽs post ruinam sentit gratiã Dei in se operãtẽ, & cõscientiã vulneratam serenãtẽ, q. exultant in ea omnia ossa humiliata per peccatũ. Ossa hæc virtutes sunt, de quib' per Isaiã dicitur r. *Et ossa vestra, vt herba germinabunt*.

Ad humilitatem, sed hilarem.

p *Rom.* 7. 23.

q *Psal.* 50. 10.

r *Isai.* 66. 14.

s Thr. 1.13 Item Hieremias. s *Ignem de cælo misit in ossibus meis: & erudiuit me*. Pro hac lætitia resurgentis gratiæ salutaris, idem Psa mista in sequentibus

t Psal. 50. orat dicens: t *Redde mihi lætitiam salutaris tui.*

Et ad augendā indies gratiam. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis. Sicut misit me pater & ego mitto vos.* Sicut Pater filium misit in mundum, vt u mundus per eum saluetur: ita

u Ioann. 1. filius cooperante eodem Patre, & Spiritu sancto, gratiā suam cum ceteris donis quotidie mittit in cor humanum, vt per illam anima illuminetur.

Hoc cùm dixisset: insufflauit illis & dixit: Accipite Spiritum sanctum Quorum remiseritis peccata remissa sunt: & quorum retinueritis, retenta sunt.

Et ad exstimulādam virtutem in actus. Christus virtutibus insufflat: cùm illarum motus ad merendum excitat. Ignis insufflatur, vt magis ardeat. Insufflans quid dicit? *Quorum remiseritis peccata remissa sunt: & quorum retinueritis retenta sunt.* Mox, vt gratia infunditur, excitat liberum arbitrium ad satisfactionem, quę fit per cōtritionem: cuius vi in eodem momento totaliter remittitur culpa: ita vt peccator in illo statu dignus sit vita æterna. Deinde per motus & opera virtutum pœna, quę obligat Purgatorio, remittitur successiuè: hoc secundū intēsionem charitatis & feruorē pœnitentiæ. Quod si motus fuerint naturales; per illas nulla fit remissio. Sicque moraliter per dona gratiæ peccata remitti, & retineri intelligantur.

Vt is pœna temporalis relicta minuatur.

En potestas remittendi culpā & pœnam Episcopis vero, Apostolorum successoribus, necnō & vniuersis sacerdotibus Domini, duplex hęc potestas à Christo collata est. Sicut frequenter videmus, & audimus de pœnitētia iniuncta; quibus, & quantum volunt relaxant; quibus & quantum volunt, retinent.

Absoluens autē curet sit ipse solutus. Hanc potestatem magnam cum insufflatione spiritus sancti dedit: vt ostēderet eos esse debere sine peccato, qui alijs peccata dimittunt. Qua fronte alios ligat, qui ligatum se videt? Rusticus pauper in die aliquo festo laborat & excommunicatur: sacerdos fortè eadem die adulteratur; quis illorum magis videtur excommunicatus coram Deo? Haud dubium, quin ille, qui sequestratur à charitate Dei. Est enim triplex excommunicatio: à charitate, à sacramentis, a consortio fidelium.

Non sit in rancore: non quæstuosus. Dedit etiā Dominus potestatem prædictam cum insufflatione Spiritus sancti; ne rancor sit in excōmunicatione, & carnalis affectus; siue quæstus in absolutione. Quæ enim Dei spiritu aguntur, recta sunt.

Absit à cōfessis diffidentia. Thomas autem, qui huic apparitioni tunc defuit, neque discipulis referentibus, quin signa cicatricum videret, credere potuit: eos significat, qui post gratiam recuperatam tam scrupulosi sunt, & tam timidi; vt IESVM in se resurrexisse nō credant nisi aliqua manifesta diuinæ misericordiæ indicia in se videant. Ecce exemplum.

Exemplū Superbi alium mutilantis. Erat ante annos paucos miles quidam in Saxonia Ludolphus nomine; sed tyrannus actione. Hic cum die quadam vestibus nouis atque pretiosis indutus per viam equitaret; rusticum cum curru obuium habuit. Cuius cum vestimenta ex rotarum impulsu luto aspergerentur, vtpote miles superbus commotus est

va.de

Pœnitens dolet se hic non puniri.

valdè, & gladio mox extracto pedē homini præcīdit. Vnde postea valde compunctus, in domo, quæ Porta dicitur, Ordinis Cistertiensis factus est Monachus. Non multò pôst in grauem morbum incidēs cū quotidie peccata sua deplāgeret, maximè præcisionem iam dicti pedis, infirmario se consolanti respōdit. Nō potero consolari; nisi videro signa Iob in corpore meo. Et ecce post dies paucos cicatricem ad instar fili coccinei contemplatur circa talum suum, in eodem pede & in eodem loco vbi rustico pedem truncauerat. Qui paulatim cœpit putrescere: ita vt vermes de eo scaturirent. Tūc repletus gaudio ait: Modò de venia spero: modò Iesum in me resurrexisse credo: quia signa Iob in meo corpore video. Sicque in multa cordis contritione, atque gratiarum actione inualescēte morbo spiritum reddidit. Huius miraculi testes sunt omnes fratres domus prædictę.

Punitus dominus gaudet.

Pax triplex

Tribus vicibus, sicut lectio præsens declarat, pacem Dominus discipulis impertit: vt intelligat omnis Christianus, quod pacem habere debeat cum Deo; in seipso; cum proximo: vt sic per pacem pectoris, pace frui mereatur æternitatis.

Solidabitur post resurrectionem.

x Psa. 47 15.

Pax ista celebrabitur die octaua, in corporum resurrectione, clausis ianuis; quando rex cœlestis Hierusalem, x. *Confortabit seras portarum eius*: & omnes *fines illius ponet pacem* IESVS Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit & regnat per æterna sęcula sęculorum. Amen.

DOMINICA SECVNDA POST PASCHA.

Secundum Iohann. Cap. 10.



N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus suis. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM Lectione.

Sermo XXI. *De pastoribus bonis, malis, mercenariis: ouibusque.* Finis & summa Euangelij.

PRæsens sancti Euāgelij lectio, qua se Saluator pastori, & nos ouibus comparat; in superficie verborum valde dulcis est, & iucūda; incentiuū amoris; & totius scala perfectionis. Docet quomodo Prælatis sit viuendum: & quomodo subditis obediendum: in expositione sua plurima requirens ad loquēdum. Quam verbis & exemplis ipso adiuuante pastore bono; nouo quodam loquendi modo, hoc est, sub specie dialogi, disserere conabor; quia dum conferendo sermo se variat; plus ipsa oratio delectat.

Introducendæ sunt duę personę, id est, Nouitij interrogantis, & Monachi respondentis: vt quæstione digna ille proponat; iste soluat.

a Pr. 27. 2

Ego sum Pastor bonus. NOVITIVS. Mox in exordio sermonis Domini Iudæi poterant scandalizari: scientes scriptum; a *Non te laudet os tuum, sed alienum.* Dicit & philosophus: Laus in proprio ore vilescit. MONACHVS. Discipuli, necnō & alij, si qui aderant boni, quia turbis loquebatur; vitam eius, doctrinam eius, & opera eius cognoscentes, non ex facili in illo poterant scandalizari. Scribæ vero, & Pharisæi

Scandalū passiuū nil curandum est bono viro.

ſemper verba eius carpebant: ſanctitati detrahebant: miracula ſiniſtrè interpretando denigrabant. Vnde & ad ſcandala proni fuere. Hinc eſt quod tempore quodã cum illis audientibus dixiſſet: b. *non quod in os intrat, coinquinat hominem*: & dicerent ei diſcipuli ſecretè: *ſcis quia Phariſæi audientes hoc verbum ſcandalizati ſunt*. Reſpondit: *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cæci ſunt duces cæcorum*. Quaſi diceret: Homo, dummodo bene viuat, bene doceat, iuſtè iudicet; de ſcãdalo prauorum in his tribus curare non debet.

b *Matt.15 11.*

NOVITIVS. Qua ſimilitudine cõparauit ſe Dominus paſtori? MONACHVS. Veriſſima. Duas in Chriſto credimus naturas: diuinã, & humanã. In vtraque paſtor eſt. Quos creat, vt Deus: paſcit, vt pater & Dominus: Hoc fideles recognoſcentes, quotidie clamant in Pſalmo. c. *Venite, adoremus & procidamus ante Deũ: ploremus coram Domino qui fecit nos: quia ipſe eſt Dominus Deus noſter, & nos populus paſcuæ eius, & oues manus eius*. Item Dauid, quem de paſcuis tulit, de ſe ipſo. d. *Dominus regit*, vel ſecundum aliam litteram, *paſcit me, & nihil mihi deerit: in loco paſcuæ ibi me collocauit*.

Chriſtus eſt paſtor quà Deus, quà homo

c *Pſ.94.6*

d *Pſ.22.1*

Cuius nimiæ bonitatis indiciũ fuit; vt de ſupernis montibus deſcendendo humanam naturam aſſumeret; & in homine ouem errabundam d. quærere; verbo, vita, & miraculis paſcere; ſicque impoſitã humeris ad gregẽ angelicæ beatitudinis reportare dignaretur. De quo & Apoſtolus Petrus dicit credẽtibus. e. *Eratis enim aliquando ſicut oues errantes: ſed conuerſi eſtis nunc ad paſtorẽ & Epiſcopum animarum veſtrarum*. Et Hieremias: f. *Et ego*, inquit, *non ſum turbatus te paſtorem ſequens*.

Errantes nos requiſiuit.

d *Lu.15.6.*
Mat.18.12

e *1.Pe.2.25*

f *Ier.17.16*

Vt enim taceam de eius paſtione ſpiritua i, qua præſentialiter turbas paſcere cõſueuit; exemplo videlicet ſanctiſſimę cõuerſationis; verbo dulciſſimæ prædicationis; & miraculorum delectatione: vno tempore pauit in deſerto ſimul, ex quinque panibus & duobus piſcibus, g. quinq; milia hominum. Et alio itidem tempore, h. quatuor millia, exceptis mulieribus & paruulis, ex ſeptem panibus, & piſciculis paucis. Bonus paſtor iſte!

Spiritaliter & corporaliter pauit

g *Matt. 6. 41.*

h *Mat.15. 36.*

Et verè bonus; quia i *animam ſuam* in cruce, non ex neceſſitate, ſed ex mera liberalitate; non ex infirmitate, ſed ex propria poteſtate, *pro ouibus ſuis ponere, & pro ſuo grege mori dignatus eſt*. In figura boni & optimi huius paſtoris pręceſſerunt quidam paſtores boni; ſpirituales paſtores, qui Chriſto ſucceſſere, ſignificãtes.

i *Ioa.10 11.*

Et morte ſaluauit.

NOVITIVS. Qui ſunt paſtores ſignificatiui, qui ſignificati? MONACHVS. Paſtores figuratiui fuere Abel iuſtus; Iacob Patriarcha; Dauid rex; Amos Propheta; necnon & illi, quibus gaudia Dominicæ natiuitatis nunciata ſunt. Iſti ad litteram pauerunt pecora bruta: & quidam ex eis in ſignũ ſpiritualis ſollicitudinis, quæ eſſe debet in cura animarum, pro illorum ſalute, animas, id eſt, vitam ſuam expoſuerunt. l. Iacob ſocero ſuo Laban captum à beſtia non oſtendit: m. Dauid de ore leonis, & de manu vrſi prædam excuſſit.

Paſtores figuratiui & veri.

l *Ge.31.39*

m *1.Reg. 17.34.*

Quan-

Quantum vero gratię quantumve gloriæ pastores ecclesiæ, animas suas pro sibi commissis exponẽdo, mereantur apud Deum; vtriusque patriarchæ gloria temporalis ostẽdit. Iacob duodecim tribuum caput effectus est, & pater: Dauid vero Rector. Vnde & dicit: n. *Et elegit Dauid seruum suum, & sustulit eum de gregibus ouium: de post fœtantes accepit eum. Pascere Iacob seruum suũ: & Israel hæreditatem suam.* De pastu ouiũ ascẽdit ad pastum hominum. Quam fideliter & quam rationabiliter atq; vtiliter illos pauerit, non tam corporali, quam spirituali regimine: manifestat cùm protinus subiungit: *& pauit eos in innocentia cordis sui: & in intellectu manuum suarum deduxit eos.*

Gloriam merentur.

n Ps. 77. 69

o Ps. 77. 72

Pastores spirituales curam pastoralem à bono summoque pastore suscipientes, erant Apostoli Apostolorumque successores: Petrus scilicet, cui dictum est: p. *Pasce oues meas.* Cui successerunt Clemens, Sixtus, Vrbanus, Cornelius: & alij quamplures: qui omnes animas suas posuerunt pro ouibus sibi commissis tempore persecutionis. Præter hos pastores generales erant & alij boni pastores, diuersarum ecclesiarum præsules: qui lupis vsque ad mortem restiterunt: vt Ignatius in Anthiochia: Cyprianus in Chartagine. Sub huiusmodi pastoribus magnis, sunt alij minores, id est, diuersarum ecclesiarum, monasteriorum, atque parochiarũ Prælati, & sacerdotes, quibus cura animarum a maioribus commissa est.

Pastores figurati sunt Papæ

p Io. 21. 17

Episcopi, & Prælati

Et his subordinati.

NOVITIVS. Cum omnes, qui oues pascunt, dici possint pastores; qui sunt quos Dominus vocas mercenarios? MONACHVS. Ecclesia eos vocat pastores, qui curam susceperunt animarum, cuiuscumque sint ordinis; sacerdotes vero, qui loco eorum seruiunt, & plebibus præsunt, Vicarios: quasi vices illorum in ecclesijs agentes. Cum vero omnem sollicitudinem curæ pastoralis illis exhibent; dicendi sunt vicarij: quando quæstum tantum recipiunt, & animas negligunt; mercenarij. De talibus dicit Dominus: *Mercenarius, & cuius non sunt oues propriæ, videns lupum venientem dimittit oues, & fugit: & lupus rapit, & dispergit oues.*

Quis mercenarius.

NOVITIVS. Quis est iste lupus? MONACHVS. Diabolus, humanæ salutis studiosissimus inimicus. Hic venit per seipsum latenter, humanis cordibus vitia suggerendo: venit in hæretico fraudulenter, fidei simplicitatem dente venenato corrumpendo: venit in malo Christiano, damnis, iniurijs & contumelijs atque iniustis exactionibus humiliores lacerando.

Lupus est diabolus; hæreticus malus Christiãus

Hunc *lupum mercenarius fugit*, vitia curæ suæ commissis dissimulando: ne fortè similia ei obijciantur; & ne oblationibus priuetur. Audiui nuper plebanum quendam dicentem: Verè, inquit, Domine, tanta est nequitia parochianorum meorum, vt si vnum acrius pro suis excessibus corriperem: non solum ipse mihi oblationem debitam subtraheret: immo etiam omnes, quos posset, ne mihi offerrent aliquid, instigaret.

Fugit, qui vitia dissimulat.

Fugit

2 Qui ignarus est.
3. Qui timidus est.

Fugit timens respondere hæreticis, quia idiota fortè,&illitteratus est: ne ab eis confundatur. *Fugit*:nō audens respondere potentibus cum pauperes opprimunt: ne ab eis contumelijs afficiatur. Vt quid, inquit, faceres tibi inimicos? Si hodie es in loco isto: cras eris in alio. ***Ideo autē fugit, quia mercenarius est: & non pertinet ad eum de ouibus.***

NOVITIVS. Quomodo exponit glossa hunc locum? MONACHVS. Lupus est, inquit, vel violentus, qui corporaliter vastat: vel diabolus, qui spiritualiter dissipat. Qui non animas ouium; sed sua quærit: non occurrit resistendo, vel mala arguēdo, quod est fugere: quia timor est fuga animi, ne perdat, quod diligit.

Exemplū pastoris fortis.

Non imitantur tales sanctū Dauid dicentem ad Saulem. q. ***Pascebat seruus tuus gregem patris sui: & veniebat leo, vel vrsus, & tollebat arietē de medio gregis: & persequebar eos: & percutiebam, eruebamq; de ore eorum***, & cætera. Per leonem, feroces & tyrānni: per vrsum, luxuriosi designātur. Vtrumque Pastor, vel Vicarius persequi debet: & per correptionem, siue etiam excommunicationem ab eisdem vitijs, si rebelles fuerint, coercere.

q 1. *Reg.* 17 *34.*

Mercenarius ad quid teneatur.

Sed dicit Vicarius: Ego non sum Pastor ouium: ego pro mercede illas custodio: nullius inimicitias incurram. Cui respondeo: quod illas fideliter pascere, & custodire teneatur, cum timore pœnæ: tum amore gloriæ. Si enim mercedem accipit, & oues negligit: in die iudicij summo Pastori omne damnū in suis pœnis soluet.

Quid mereatur.

Quod si omnē curam pastoralem illis impenderit: quantum ex hoc mereatur, exemplum habet in sancto Iacob, r. qui pro mercede pauit oues soceri sui, vt supra dictum est. necnon & in sancto Moyse: s. qui pascendo oues Iethro soceri sui, & Deum videre & totius populi Israel dux esse meruit.

r *Gen.* 31.
s *Exod.* 3.

Quomodo pascere debeas.

Qualiter autem pro mercede pascendus sit grex alienus, docet idem Iacob, dicens ad Laban, t. ***Oues tuæ, & capræ tuæ steriles non fuerunt, arietes tuos non comedi: nec captū à bestia ostendi tibi. Ego omne damnum reddebam: quicquid furto peribat, à me exigebas. Die, noctuq; æstu vrebar & gelu: & fugiebat somnus ab oculis meis.*** Omnia hæc figuratiue dicta sunt. Imitentur ergo pastorem hunc bonum Pastores ecclesiarum; vt, si fortè ipsi minus fuerint idonei ad regimen animarum; tales tamen in illis locare studeant, qui per meritū vitę atq; doctrinę Pastorum vicem suppleant.

t *Ge.* 31. 14

Quid prosit pastori suo.

Quantum hoc eis prosit: testis est idem Iacob cum subiungit: ***Tu nosti, quantum seruierim tibi: & quanta in manibus meis fuerit, possessio tua. Modicum habuisti, antequam venirem: & nunc diues effectus es: & benedixit tibi Deus propter me.*** Nam sicut per bonos Vicarios Pastores sæpe proficiunt: ita per malos & inutiles apud Deum pœnis se obligant: si tamen illorum nouerint vtilitatem, & sustinent. Sæpe etiam boni Vicarij pro mercede temporali fideliter seruiētes in pastores prouehuntur: & in varias dignitates eliguntur.

Quid sibi.

Descripto mercenario: iterū boni Pastoris indicium Dominus ostē-

dit

dit cum subiungit: *Ego sum pastor bonus: & agnosco meas & cognoscunt me mea.*

NOVITIVS. Audiant hoc, qui plures habent ecclesias, qui diuersas animarum curas receperunt, & fortè paucas, vel nullam ex ouibus commissis neque facie, neque nomine nouerũt. MONACHVS. Verum dicis: valde eis timendum. necnon & illis, qui eas conferunt. Quod enim satis miserabile est, satisque detestabile; hoc tempore laicis, id est, sine ordinibus: necnon & infantibus, quod periculosius est, qui nõdum positi sunt ad litteras; cura animarum committitur.

Nota malum ante annos quadringẽtos.

NOVITIVS. Vnde quendam virum litteratum & religiosum, in quo zelus erat iustitię in synodo Coloniensi audiui dicentem: Quomodo regerent animas; qui nondum nouerunt regere braccas suas?; Non boni pastores isti.

Apophthegma de malis pastoribus.

MONACHVS. Verum est. Pastor bonus, teste Domino, inquantum valet, tenet cognoscere sibi commissorum non solum faciem exteriorem; sed & interiorem, id est, conscientiam. NOVITIVS. Hoc impossibile est Episcopis, Archidiaconis, seu alijs Prælatis: qui multas animas regendas susceperunt. MONACHVS. Quod non possunt per se; per alios fideliter implere debent. Episcopus, quẽ pastor summus *posuit* u. *speculatorem domui Israel;* ex officio tenetur prouinciam sibi assignatam frequentius circuire: qualiter disciplina vigeat in monasterijs, in cœnobijs, in parochijs: qualiter fides floreat in laicis: quid in Prælatis sit corrigendum: quid circa subiectos dissimulandum; diligentissimè inuestigare. Et quia ad hæc omnia minus sufficit ipse; debet sibi eligere, exemplo Moysi, x. coadiutores, viros potentes, & timentes Deum: in quibus sit veritas; & qui oderint auaritiam.

Prælatorũ officium in visitando.

u Ezech. 3. 17.

x Exod. 18. 18.

NOVITIVS. Satis potentes sunt hodie Archidiaconi, adiutores episcopi: sed timorem Dei, veritatem, & execrationem auaritiæ in eis non videmus. Satis etiam solliciti sunt: vt ecclesiarum sacerdotes agnoscãt. non, vt sciant qualiter oues regant. sed quantum quis soluere possit. MONACHVS. Fateor, diligenter satis discernunt inter pastorem, & mercenarium: inter ouile & ouile: & vtinam hoc propter zelum iustitiæ: & non propter emolumentum lactis & lanæ.

Vitium in cortadẽdo.

Vnde Oliuerus Scholasticus Coloniensis in sermone suo nuper præsentibus quibusdã Archidiaconis, sic ait: Quando Archidiaconus parochias suas visitat, si sacerdos nescit credere in Deum, id est, virtutem prępositionis intelligero. statim hæreticus iudicatur. Dat pecuniam, & sanctificatur.

Apophthegma in prælatos auaros.

Non ista dico capita ecclesiæ damnando, qua multi ex Episcopis, Archidiaconis, & sacerdotibus boni, & cura pastorali digni sunt: sed malitia temporis nos ista dicere compellit. Quidam Episcoporum præsentiæ nostrę cũ populum sibi subiectum duris & frequentibus exactionibus angariaret: & de hoc à quibusdam argueretur: verbum hoc respondit: Benè licet pastori proprias oues tondere: lana iterum crescet. Hoc etiam scias, quod bene & misericorditer hoc tempore cum quibus-

Apophthegma auari pastoris.

dam ouibus ageretur: si pastores lanam solummodo & lac illarum tollerent: & non eas mactarent, excoriarent, atque deuorarent.

NOVITIVS. Quid vocas lac & lanam? MONACHVS. Substantiam exteriorem. NOVITIVS. Quid est mactare, excoriare, deuorare? MONACHVS. Ditiores, propter pecuniam, occasione nata, capere, incarcerare, fame, frigore & vinculis affligere. NOVITIVS. De hoc mihi referas exemplum.

Exemplũ. MONACHVS. Quidam Archiepiscopus Madenburgensis, tempore quodam in pecunias ciuium suorum inhians, cum illis in ciuitate nocere non posset; amicabiliter euocauit. Quibus nihil mali opinantibus, friuola quædam obijciens, cepit, incarcerauit; pecuniam grauem ab eis exigens. Quod vbi ciuitati innotuit, sacerdos quidam iustus & sanctus maioris Ecclesiæ die solemni pulpitum ascendit: hisque verbis populum allocutus est: Audite boni homines, audite. Episcopus noster, qui loco pastoris nobis fuerat ordinatus; nũc factus est lupus. Oues, quas pascere, fouere, & custodire debuerat; rapit, dispergit, & mactat. Rogate Deum vt illum mutet, vel celerius de medio tollat.

NOVITIVS. Sæpe subditi scandalizantur in Prælatis. MONACHVS. Hoc reliquiæ Israel, cum vastatæ tenderent in Aegyptum, Hieremiæ verbis figuratiuis confessæ sunt: cum illas de idololatria, alijsque peccatis argueret. *Nunquid sine viris nostris*, inquiunt, *facimus ista?* Viri sunt, Prælati; qui exemplo bonæ conuersationis plebem sibi commissam fœcundare; & verbo prædicationis regere tenentur. Quando potentes terræ arguuntur propter exactiones, quas faciunt in populum, telonia scilicet, & vectigalia iniustas respondent: *Sine viris nostris non facimus ista.* Episcopi nostri, quibus commissi sumus; his similia faciunt. Si peccatum esset; ipsi ea vitarent. Ipsi vident, nos cæci sumus.

NOVITIVS. Puto quod mala latera & consilia militaria ad huiusmodi scandala sæpè Episcopos impellant. Milites crebro: clerici rarius circa illos versantur. MONACHVS. Ita est. Milites, vt eis stipendia sua augeantur, vt copiosius infeudentur, sæpè suadent, immo instigant Episcopos, vt exactiones faciant, vt telonia aggrauent: & *fit y sicut populus sic & sacerdos.* Hoc Dominus conqueritur per prophetam dicens. z. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam. Vinea Domini sabaoth*, omnis credentium populus est: pars autem Domini clerus. Vinea Domini à pastoribus demolitur; cum per Episcopos populus terræ ob prædictas rapinas in sua substantia minuitur. Quãto plus negotiatoribus, qui prouincias pascunt, rapiunt: tantò carius, quod residuum est, vendunt. b *Quicquid delirant reges plectuntur Achiui*. Pars Domini conculcatur, quando relicto & contempto consilio, Clerici à personis laicis, quarum manus ad fas nefasque venales sunt, pontifices reguntur.

z. Iere. 12. 10.

b Iuuenalis.

Exemplũ vastatoris, nõ pastoris. Ab his eductus & seductus Coloniensis Archiepiscopus Theodoricus, per totam quadragesimam, vt nosti, non orationibus, & eleemo-

mosynis; sed incendijs vacauit atque rapinis. Vnde eodem tempore iusto Dei iudicio excõmunicatus est, & depositus. NOVITIVS. Si idem Theodoricus tunc vsus fuisset consilio Priorum suorum, & non curialium: forte in honore suo stetissent.

e Anno 1214.

MONACHVS. Idem contigit antecessori eius Adolpho. Duplicem habent gladium pœnæ omnes Episcopi Alemanniç: vnde & magnus eis timor incumbit. Hoc considerans Scholasticus quidam Parisiensis, dixisse fertur: Omnia possum credere: sed non possum credere quod vmquam aliquis Episcoporum Alemaniæ in suo Episcopatu possit saluari. NOVITIVS. Hoc falsum est. quia ex Episcopis Coloniensibus Bruno primus, Peregrinus, Herimannus, Anno, sancti sunt. Hi omnes duces erant, & pontifices. MONACHVS. Illi viri erant pij ac religiosi, castra sicut in eorum gestis legitur, destruentes, & monasteria ædificantes: modò castra ædificant, & cœnobia, siue in ædificijs suis siue in prædijs dissipant. Ad huiusmodi opera incitantur consilijs militaribus, linguis sæcularibus; ab eis, qui de disciplina sunt Doech Idumæi: c. cuius consilio trucidati sunt sacerdotes Domini in Nobe. NOVITIVS. Quis est iste Doech? MONACHVS. Potentissimus pastorum Saulis: diabolum significans. Huius oues sunt homines militares: & hoc, quamdiu sub signis eius militant. NOVITIVS. Vellem mihi hoc exemplificari.

Penultimo anno 1205.

Apophthegma. Sed falsũ.

Prælati pij & vani operibus different.

c. 1. *Reg.* 21. 7.

Episcopi militares.

MONACHVS. In Niuellia oppido diœcesis Leodiensis fœmina quædam valde religiosa, cum in oratione esset; quasi hominem in figura pastoris cum pera & virga pastorali coram se stare conspexit. Cui cum illa diceret: quis es? & ille responderet: ego sum pastor; fœmina mox ex horripilatione suborta eum cognoscens subiunxit: Heu, heu, latro! quid est, quod loqueris? Tu ne es pastor? Ego sum, inquit pastor. Et quis pastor bonus; nisi ego? Dicente fœmina: bonus pastor est Dominus meus IESVS Christus: boni etiam pastores sunt magister Iacobus: magister Thomas: magister Iohannes, & cæteri boni prædicatores nostri. Respondit diabolus: Si vis, poteris cras cognoscere quam sollicite, & quam ordinatè per talem portam ciuitatis greges meos educturus sum, & cum quanta alacritate mihi obediant. Quæ exiens, intellexit totam ciuitatem militibus repletam; qui manè per prædictam portam egressi per turmas suas ordinate satis incedebant ad locum torneamenti properantes. Talium consilijs modo vtuntur ecclesiarum præsules.

Exemplũ. diaboli pastoris plus timorum.

NOVITIVS. Non ergo mirum si fiunt sæculares. MONACHVS Noui nonnullos ante Episcopatum religiosissimos; qui in Episcopatu à peruersis ita sunt peruersi, vt sæcularibus magis fierent sæculares; & pauperum exactores. Hoc Dominus per Ezechielem conqueritur, dicens. d. *Cum austeritate imperabatis eis & cum potentia: & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor.* Superius dixerat: *lac comedebatis, & lanis cooperiebamini.*

Pastores boni sæpe peruertuntur.

d. *Ezech.* 34. 4.

Vt enim taceam de magnis pastoribus, id est, Prælatis, de quibus pro exemplo satis dictum est: tanta est auaritia sacerdotum, vt eis lac & lanam, id est, decimas & oblationes tollere non sufficiat: quin etiam ipsa ouium stercora, quę in agros efferẽda essent, in suis granarijs, & cellarijs, reponant.

Pœnitẽtias in suum quæstum vertunt. NOVITIVS. Quid appellas stercora? MONACHVS. Pœnitẽtium peccata: de quibus per Prophetam dicitur: e. *Computruerunt iumenta in stercore suo*. Quando per confessionem huiusmodi fimus egeritur, consulentes auaritiæ suæ sacerdotes, pœnitentiam pro criminalibus iniunctam; vt sunt Carenæ, quæ in agros, id est, in publicum deferenda esset, vt redimant cõsulũt: sicque redemptionis pretium, siue in annona, vel in vino, vel in pecunia sit, in prædictis locis reponunt. Vnde Dominus conqueritur, & dicit: f. *Peccata populi mei comederunt*. Item per Ezechielem. g. *Propter pugillum hordei, & propter fragmen panis, violabant me ad populum meum: vt interficerent animas, quæ non moriuntur: & viuificarent, quæ non viuunt*. Benè sciunt auari sacerdotes inter pecus & pecus, inter pingue & macilentum, inter forte & infirmum discernere: sed non propter emundandam conscientiam: sed propter lac & lanam.

e Ioel 1.17. f Ose. 4. 8. g Eze. 13. 18.

Christus cognoscit suos tripliciter. Christus vero pastor bonus est: *quia oues suas cognoscit, & ab eis cognoscitur*. NOVITIVS. Quomodo cognoscit; vel quomodo cognoscitur? MONACHVS. Christus electos suos ab æterno cognouit beata prædestinatione: in tempore cognoscit vocatione, & gratiæ infusione: in futuro agnoscet præmij retributione. g. *Ego*, inquit, scio, *quos elegi*. Ipse enim nouit nomina iumentorum suorum: quæ scripta tenet in libro h. vitæ. Vnde Apostolus dicit: i. *Nouit Dominus, qui sunt eius*.

g Ioa. 13. 18 h Ap. 17. 8

Apophtęgma pastoris oues cognoscẽtis. Hanc Domini vocem quidam Pastor bonus semper in memoria habens; dixit verbum memoria dignum. Tempore Imperatoris Friderici primi, cum Christianus Archiepiscopus Moguntinensis per Lombardiam cum eo transiret, & cũ quodam Episcopo illius terræ de diuersis cõferret; ait ille Archiepiscopo: Domine, nostis nomina omniũ vobis commissorum? Subridente Christiano, & dicente: penè tot homines sunt in episcopatu meo quot in tota Lombardia: & quomodo illos omnes nosse possem? Episcopus periculum illius considerans, & expauescens respondit: Ego noui nomina omnium ouium mihi commissarum: quæ scripta cõtinentur in hac chartula: extractam illi ostendens. Cognoscitur Episcopus à suis ouibus per fidem, & dilectionem.

NOVITIVS. Quis est fructus huius cognitionis? MONACHVS. Vita æterna. k *Hæc est*, inquit ipse pastor bonus, *vita æterna: vt cognoscant te Deum verum, & quẽ misisti Iesum Christum*. Ibi fidei cognitio, quæ hic est ænigmatica, erit præsentaria: quando videlicet fides transibit in speciem: & l. *eum cognoscemus sicuti cogniti sumus*.

k Ioa. 17. 3 Fructus cognitionis est vita æterna. l 1. Cor. 13 12.

Sæpè contingit, vt diuersorũ ouilium greges in pascuis cõmisceãtur: sed gnarus Pastor in fine diei, quãdo post

Signũque, oues habẽt cognitiõis

post pastum reducendi sunt ad caulas, facilè oues proprias ab alienis separat; si tamē fuerint signatę. Omnes oues suas Christus signauit; sicut m *Apo.7.3* Iohānes dicit in Apocalypsi; m. quas in iudicio separabit ab hœdis, & ab ouibus alienis, id est, reprobis: de n*Ps.48.15* quibus dictum est: n. *Sicut oues in inferno positi sunt: mors depascet eos.*

Munia sex officij pastoralis in Christo.

In boni pastoris cura sex adhuc sunt notanda, hoc est, vt oues suas 1. ordinatè educat, 2. & reducat fideliter. 3. pascat. 4. & custodiat. 5. cognoscat, & 6. reducat. Omnia ista Christus suis electis exhibet. Educit eos de fœtore peccatorum. 2. deducit ad pascua virtutū. 3. pascit per multimodam consolationem. 4. custodit, finalem in eis seruando dilectionem. 5. agnoscet in fine vitæ præsentis: 6. reducet ad æterna pascua paradisi virentis. Horum exēpla quia tam in prophetis, quam in Euangelijs satis sunt vsitata, causa breuitatis omitto: quia ad ea, quæ residua sunt, festino.

Signum in ouibus recognitiōis

Qualis esse debeat cognitio, qua enim cognoscimus, vel quis illius sit effectus: satis manifestat, cum subiungit: *Sicut nouit me pater, & ego agnosco patrem: & animā meam pono pro ouibus meis.* Quasi dicat: Sicut signum est perfectæ cognitionis, & mutuę dilectionis inter patrē & me; quod animam meā paratus sum ponere, & ponam pro ouibus, ad quas me misit: ita, signum mutuæ cognitionis, & charitatis inter me & vos erit: si animas vestras, id est, vitam exponere non recusetis pro fratribus, & animabus vobis commissis. Si Petrus, & cæteri Apostoli non credidissent: (quod cognoscere fuit Iesum filium Dei:) nequaquam pro credentium salute vltrò occubuissent. Sequitur:

Et alias oues habeo, quæ non sunt de hoc ouili: & illas me oportet adducere. NOVITIVS. Quæ sunt oues istæ? MONACHVS. Gentes ad vitam æternam pręordinatæ. Ecclesia ex gētibus per prædicationem Apostolorum ad Christum est adducta, & Ecclesiæ primitiuæ, quæ ex Iudæis erat, coniuncta. Et quia audierunt vocem eius, siue occultę inspirationis; factum est vnum ouile, & vnus Pastor.

Istis ethnici aggregātur.

Ecclesia vna est, & multæ sūt.

NOVITIVS. Quid est ouile? MONACHVS. Ecclesia. Oues, singuli sunt electi. NOVITIVS. Si vna est Ecclesia; quid est, quod dicitur Ecclesia Romana, Hierosolymitana, Antiochena, Alexandrina? MONACHVS. Vna est Ecclesia, & multæ. Vna propter Sacramentorū vnitatem: quia o. *vnus Dominus, vna fides, vnum baptismum.* Multę, propter diuersos conuentus fidelium, & Ordinum distinctiones. Vna est Regina, p. & Adolescentularum non est numerus. o *Eph.4.5* p *Cāt. 6.7*

Huius ostium Fides

NOVITIVS. Quid est ostium ouilis Ecclesiæ? MONACHVS. Fides Christi. Ait enim in alio loco. q. est. *Ego sum ostium ouium. Si quis nō intrat per ostium, sed ascendit aliunde; ille fur est, & latro.* Talis erat Simon Magus: qui non credendo, sed auaritiæ inhiando superficietenus baptismum suscepit: gratiam Spiritus S. quæ credentibus dabatur, sperans se vendere posse. q *Ioa.10.9*

Fures qui.

Ex duobus postibus hinc inde positis, atque superliminari ostium consistit: fidem, spem, & charita-

tem exprimens; sine quibus baptismus virtute caret. Qui sine virtutibus his intrat; aliunde ascendit. Quidam vero fures siue latrones imitantes, ad hoc tantum baptizantur; vt furentur, & mactent, & perdant. Vnde plures Saraceni temporibus nostris baptizati sunt, tantum vt fine notâ, Christianorum vires, numerum, & instrumenta bellica suis proderent: quod & fecerût. Isti fures erant. Alij more latronũ crudelius agentes, sub pelle quidé ouina, id est, simulata simplicitate, ingressi sunt: sed nacta oportunitate, malitiam ostendentes lupinam, principes nostros laniauerunt. Occiderunt enim Conradum Marchionem, & Regem Hierosolymitanum, virum omni probitate perspicuum, in medio ciuitatis suæ: necnon & spectabilem iuuenem filium Comitis Tripolitani in medio ecclesiæ.

Itemque latrones.

Intra generale Ecclesiæ ouile plurima, vt dictum est, continentur ouilia: in quibus Dei animalia habitant, pascuntur, & custodiuntur: Papatus videlicet, Patriarchatus & Episcopatus, Archidiaconatus, necnon & variæ Prælaturæ, ecclesiæ, atque præbendæ.

Simoniaci

NOVITIVS. Quod est ostiũ horum ouilium? MONACHVS. Ingressus Canonicus. Qui vero in huiusmodi dignitates, siue Stipendia non intrat Canonice, sed Simoniacè, ille fur est, & latro; quia animã suam Deo, ad cuius imaginem & similitudinem creata est, furatur; & per malum exemplum alios interficit: nec non & eos à quibus promouetur.

NOVITIVS. Quot sunt species Simoniæ. MONACHVS. Tres. NOVITIVS. Quæ? MONACHVS. Choritarum: Iezitarum: Symoniacorum: ab auctoribus sic vocatæ. *Chore*, sicut legitur, r. contra diuinam ordinationem primum sacerdotium in Israel vi sibi vsurpare nisus est. *Iezi* vero s. gratiam sanitatũ Domini sui He'isei Naaman Syro vendidit. *Simon* autem donum Spiritus sancti pecunijs comparare t. à Petro tentauit.

Simoniæ tres species.

r *Num. 16*

s *4. Reg. 5.*

t *Actor. 8.*

NOVITIVS. Quæ videtur tibi inter has tres species periculosior? MONACHVS. Pœna singulorum de hoc te expediat. Chore terra viuum absorbuit: Iezi Dominus lepra percussit: Simon præcipitio interijt. Quælibet tamen species dicitur Simonia: eò quod illa generalior sit.

Quarta species Sanguinitarum est; horum videlicet, qui suos consanguineos ad stipendia, siue dignitates promouent ecclesiasticas. Quidam vero, tam ex Prælatis, quam ex subditis de prędictis Simonijs, quod valde miserabi'e est, gloriantur. sicut plurimis tibi probare possé exemplis: sed sermo claudendus est.

Quarta sanguinitarũ.

Imitentur ergo Pastores ecclesiarum boni, immò summè boni pastoris exemplum: vt oues sibi commissas diligenter agnoscant: vt agnitas vita & doctrina fideliter pascant: & vt animas suas, si necesse fuerit, pro illis exponant. Quod perierat, requirant: & quod abiectum, reducant: quod u. confractum fuerat, alligent: & quod infirmum, consolident: pingue verò & forte custodiãt. Quod si fecer nt, ouesque eis obedierint; simul cum illis ad pascua perue-

Epilogus.

u *Eze 34. 4.*

peruenient patriæ cœlestis. Quo nos perducat pastor bonus, pastor pius, Dominus noster IESVS Christus: qui viuit & regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

DOMINICA TERTIA POST PASCHA.

Secundum Iohan. Cap. 16.



N illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Modicum & non videbitis me: & iterum modicum & videbitis me: quia vado ad Patrem. Et reliqua

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo XXII.

De morte: De gloria: De Nouitiæ parturitione.

HAbet gratia verba sua, quibus intus animam alloquatur: habet anima aures suas, quibus illa percipiat: alioquin Propheta non diceret: a. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus.* Habet etiam faciem suam gratia, quam ostendat: habet oculos suos anima, quibus illam attendat. Vox illius est: b. *Tibi dixit cor meum, exquisiuit te facies mea; faciem tuam Domine requiram. Ne auertas faciem tuam à me: ne declines in ira à seruo tuo.*

a Ps. 84. 9.

b Ps. 26. 8.

Simile aptum.

Facit enim Dominus, quemadmodum mater, filios habens paruulos ac dilectos: vt magis desideria illorum accendat, aliquando faciem notam velat, vel auertit: dicens ad illos: Modò vado, modò recedo: amodò non videbitis me. Statimque lachrymantur infantuli. Quæ postmodum faciem reuelans, tristitiam illorum conuertit in gaudium, lachrymas in risum. Et sicut paruuli ignorant, quid circa se agatur: ita tunc temporis discipuli nesciebant quid eis diceret IESVS.

Quid est, inquiunt, *quod dicit: modicum, & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem? Nescimus, quid loquatur.* Pueri sunt viri Religiosi: munditiam custodientes in corpore, & simplicitatem in corde. Facies gratiæ Christi præsentia consolationis est, qua illos visitat: & ab eis tempore orationis, sanctæ meditationis atque contemplationis videtur. Hanc faciem nonnunquam quasi velat & auertit: cùm gratiæ dulcedinem illis subtrahit. Quantum ex hoc pueri IESV contristentur, vnus illorum ostendit cum dicit: c. *Auertisti faciem tuam à me: & factus sum conturbatus.* Vnde eandem auersionem rursum timens, orat: d. *Ne auertas faciem tuam à puero tuo.*

Solatiũ dat negatasq; suis Dominus.

c Ps. 29. 8.

d Ps. 26. 3.

Quibusdam etiam conceditur faciem illius videre oculis corporalibus: sicut nuper audiui à quodam sacerdote Ordinis Chartusiensis nomine Nicolao. Ait enim:

Fœmina, valdè religiosa & Deum timens, habitat in villa Veruino diœcesis Laudunensis: Helevvigis nomine. Hæc cùm die quadam ad prunas sedens, proprium infantulum in sinu foueret: Saluator illam probare volens, ex latere stans ei visibiliter apparuit. Quem cum videret, ex nimio gaudio oblita infantis, ad illum cucurrit. Et ecce, infans, illa surgente, in ignẽ lapsus est. Christo mox disparẽte femina redijt videns

Exemplũ Christi corporaliter visi.

Et infantis in igne illæsi.

videns paruulum in igne iacentem, territa nimis extraxit, semiustum illum æstimans. Quem cum illæsum reperisset, gratias egit Christo; cuius virtute seruatus est.

Piorũ vita mœrens.

Quod autem sequitur: *Amen amen dico vobis: quia plorabitis, & flebitis vos; mundus autem gaudebit*: ad statũ pręsentis vitę spectat: in quo boni viatores tribulantur, & plorant, ad patriam suspirantes: & mali prosperantur, & gaudent, delicias temporales & transitorias suam patriam reputantes. In futuro vero tristitia bonorum vertetur in gaudium. quoniam e *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum suorum*: & f *lætitia sempiterna erit super capita eorum*.

e *Apoc.*21. 4.
f *Psal.*51. 11.

Impiorũ contraria infęlix.

Tunc & gaudium malorum vertetur in luctum: quia de corporibus suis abstracti g *mittentur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium*. Vtrumque beatus Iacobus Apostolus considerans iustis dicit: h *Miseri estote, & lugete: vt risus vester in luctum vertatur; & gaudiũ in mœrorem*. Malis autem quid dicit? i *Agite nunc diuites, plorate vlulãtes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt; & aurum & argentum vestrum æruginauit: & ærugo eorum vobis in testimonium erit: & manducabit carnes vestras, sicut ignis*.

g *Mat.*8. 12.
h *Iacob.*4 9.
i *Iaco.*5.1.

Simile.

Tristitiam verò pręsentis vitæ, & gaudium patriæ per similitudinem mulieris pręgnantis expressit Dominus, cum subiunxit: *Mulier cum parit, tristitiã habet, quia venit hora eius*. Mulier hæc, secundum intellectum moralem, designat quemlibet electum, Christo cœlesti Regi per fidem desponsatum. De cuius timore proles gratiæ concipitur; amore animatur, morte generatur. Vnde & sanctorum mortes natalitia vocantur. Plus est nasci cœlo, quam mundo. In illa natiuitate efficimur filij iræ: in ista filij gloriæ. De hac spirituali conceptione seu natiuitate dicit Isaias. k *A timore tuo Domine cõcepimus, & parturiuimus & peperimus spiritum salutis*. Bonus filius iste.

Spiritalis natiuitas pij ad gloriam.

k *Isai.* 26. 18.

Mulier licet concipiat cum amore, & carnis delectatione; non tamen parit sine cruciatu & dolore. Ex quo enim se concepisse nouit: non potest non contristari quoties meminit horæ partus. Nec mirum. Timet sibi, timet & proli: ignorans vtrum validus vel infirmus, vitalis, vel moribundus; decorus, vel monstruosus homo nasciturus sit. Hora mortis, hora pariendi est. Horæ huius amaritudinem bene nouerat Christus, quando imminente passione l *cœpit pauere & tristis esse: ita vt fieret sudor eius sanguineus*. Quanta ibi sit amaritudo, quando vincula animæ rumpuntur, sæpe apparet in agonizantibus: plenius tamen probatur in exemplo, quod subiungimus.

Sed præcedit mortis metus de partis

l *Mar.*14. 33.

Ante hoc septennium cum Prior quidam de ordine Regularium in quadam corte monasterij sui hospites collegisset, & iam mensa esset præparata, ipsa hora tanto sopore cœpit deprimi; vt, nisi ocyus dormiret, moreretur. Qui cum in lecto se reclinasset, mox quidam eius Conuersus, qui alteri grangiæ præerat, dormitanti affuit, dicens: Domine cum licentia vestra vado. Et ille, Quo vadis? Respondit Conuersus: Ad Deum vado: quia mortuus sum

Exemplũ mortis Beatæ: sed duræ.

in

in hac hora. Et Prior: Cum multi perfecti viri transeant per purgatorium: quid est, quod tu tam absolutè dicis, te statim iturum esse ad Deum?
Immunis à purgatorio per Christi passionem. Ad quod ille respondit: Habebam consuetudinem, vt quotiens transirem coram Crucifixo: hanc dicerem orationem. *Domine per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maxime quando anima tua egressa est de corpore tuo: miserere animæ meæ in egressu suo.* Et exaudiuit orationem meam Dominus; meique misertus est. Et dixit Prior: Quomodo fuit tibi morienti? Respondit: Videbatur mihi in agonia posito, quod totus mundus esset lapis vnus, & premeret pectus meum.

Væ ergo impio. Si tam amara est mors iusti: vbi obstetricantibus beatissimis angelis quorum tunc visione fruitur anima, præsentatur suo genitori: quantã amaritudinem, quantum cruciatum & dolorem esse putamus in morte impij; vbi immisericordes obstetrices Pharaonis animam egredientem excipiunt, & flumini sulphureo atque ardenti immergunt? Vt enim taceam de malis; quis bonorum non
m. Ec. 9. 1. paueat in hora mortis? Quis scit, m *vtrum dignus sit odio, an amore?*

Bono bene. Quod si spiritus egrediens natus fuerit homo, id est, proles gratiæ; non monstrum, id est, ludibrium dæmoniorum, & gehennæ fomentum; iam non meminit pressuræ; quia natus est homo in mundum. Notate quod non dicit, mundo, sed, *in mundum*: quia licet talis natiuitas in mundo celebretur; spiritus tamen egressus mox cœlo recipitur: nisi per purgatorium impediatur.

Mulier bona & casta licet in partu periclitetur, contristetur, & laboret: amore tamen prolis non vnquam parere desiderat. Hinc est, Ideoquè mortem optansti. quod Rachel, cum primogenitum suum edidisset, vocauit nomen illius Ioseph, dicens. n *Addat mihi Dominus & alterum.* n. Gen. 30. 24. Attendite martyres, fratres; Vt nouum hominem parerent cœlo, cruces, gladios, eculeos, ignes, & bestiarum morsus pati non recusabant in mundo. *Miser ego homo, o quis me liberabit de corpore mortis huius?* o. Rom. 24. Vox cuiusdã est parturiẽtis, dissolui cupientis, p *& esse cum Christo.* p. Phi. 1. 23. Spiritu existente cum Deo, mater non meminit pressuræ: quia q *caro* interim *requiescit in spe.* q. Ps. 15. 9. In qua spe? Spe vtique gloriosæ resurrectionis. de qua subditur:

Propter gloriam etiam corporis futuram. *Iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum. Iterum,* id est, in resurrectione generali, quando veniens ad iudicium, corpora electorum suorum suscitabit in gloria. In illa die proles gloriæ ingredietur matrem, id est, spiritus carnem, cuius dotes erunt claritas, subtilitas, agilitas, impassibilitas. Dotes vero Itemque Animæ. animæ sunt cognitio, dilectio, fruitio. Magnum & ineffabile erit gaudium electorum, quando post resurrectionem corpora eorum r. *fulgebunt sicut sol in regno patris eorum*; r. Mat. 13. 43. quando ipsum Deum, qui est trinus & vnus, perfectè cognoscent, perfectè diligent, & perfectè fruentur illis. Hoc gaudium nemo tollet à sanctis: quia in æternum erit.

Religiosa parturitio Nouitij. Mulier cum parit tristitiam habet. Potest hæc similitudo etiam adaptari nouicijs nostris, eorumque magistris. Ait enim de illis in regula sua sanctus Benedictus: *Nouiter quis ve-* 1. admissi.

niens

Regula S. Benedicti. *niens ad conuersationem, fit in cella nouitiorum: vbi meditetur & manducet & dormiat. Et senior ei talis deputetur qui aptus sit ad lucrandas animas. qui super eum omnino curiose intendat, & sollicitus sit: si vere Deum quærit: si sollicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria.*

2. Cōmissi Magistro. In carnali generatione prima est conceptio; secunda parturitio; tertia partus editio. Quando ab Abbate Magistro probationis nouitius committitur; quasi filius ab illo concipitur. Quem ad instar mulieris concipere debet; cum delectatione: vt non solum gaudeat de eius conuersione; sed & de commissione.

3. Instructi à magistro. Deinde debet eum in vtero parturire. Parturitio est partus paratio, quæ fit in concepti augmentatione, mēbrorum formatione, dispositione, sensificatione, perfectione. Vniuersa hæc nouitio exhibenda sunt in vtero probationis. Si per studium Magistri in fide & amore Christi profecerit; si disciplinis informatus fuerit, si honestis moribus dispositus & ornatus; si contra tentationes animatus: bene parturitur.

4. Facti professi. Tempus partus tempus professionis est. Taliter parturiuit Apostolus eos, quibus dicebat. s *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Christus in vobis formetur*. Quando magister nouitium ante altare ducens benedictioni & inuocationi illum repræsentat; quasi filium Deo generat quem per omne tempus probationis parturierat.

s. Gal. 4. 19.

Exemplū quasi regenerati in professione. Huiusmodi innouatio quædam species regenerationis est, teste quodam ex Patribus sanctis, qui virtutem baptismalem super cucullam monachi stare se vidisse testabatur.

s. Iam emundati. Si sic pepererit filium; iam non meminit pressuræ, id est, laboris & sollicitudinis, quos habuit circa ipsum: eò quod natus sit homo in mundum. Mundo comparatur monasterium propter sui munditiam, eò quod conuersum mundificet, & renouet; vt dictum est: filium gratiæ in re, & prolem gloriæ in spe efficiens.

6. Licet demum tentati. Quod autem supra dictum est; *habet tristitiam; quia venit hora eius*: ad hoc spectat quod probatione completa maximè nouitij tentari solent, ex hoc non modicam tristitiam magistris suis ingerentes.

7. Monasticè tamē viuentis. Gaudet vero magister si natus fuerit homo, id est, si monachus effectus non bestialiter, sed humanè, id est, rationabiliter vixerit & ordinatè, quia sæpè meritum discipuli ad coronam proficit magistri.

NB More cautum. Postea in loco determinato per duos menses tenetur eum lactare: videlicet cum eo loquendo, & de disciplina instruendo. Vnde omnis Prælatus, qui alios informat, habere debet vbera pinguia per bonam vitam, bonamque doctrinam. ne t. *ablaccatus super matre sua* pereat.

t. Psal. 130. 2.


Aureola Prælatorum est. Quod autem sequitur: *& vos quidem nunc tristitiam habetis: iterum autem videbo vos: & gaudebit cor vestrum*: ad aureolam pertinet Prælatorum, quam habituri sunt de perfectu subditorum. Martyres, Virgines & Prælati aureolas habebunt. Est autem aureola quædam decentia & singularitas, quæ non sanctis omnibus debetur. Tria hæc genera hominum specialius Christum secuti sunt,

Mar-

Martyres, sanguinis sui effusione: Virgines, corporis integritate, Praelati, praedicatione. Hoc singulare *gaudium*, quod Praelati boni pro sibi commissorum profectu à Christo sunt recepturi, *nemo tollet ab eis*. quia perpetuum erit, & perpetuo cum Christo regnabunt. Quorum consortio nos coniungere dignetur ipse Dei Filius, Dominus noster *Iesus Christus*: qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat Deus per immortalia sęcula sęculorum. Amen.

DOMINICA QVARTA POST PASCHA.

Secundum Iohann. Cap. 16.



IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Vado ad eum, qui me misit: & nemo ex vobis interrogat me: quò vadis. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM Lectione.

Sermo XXIII. De Ascensione. De Causidicis. De Iudicibus. De S. Spiritu doctore. Quaestio dubia.

QVaeri potest, & non absque ratione, *quomodo Filius dicat se missum à patre, & ad patrem ire: cum nunquam recesserit à patre?* a Ioan. 14. 10. *Non creditis*, inquit, *quia ego in patre, & pater in me est?* Et in alio loco stans in terra, dicit se esse in sinu patris. b Ioa. 1. 18. Se tamen exisse à patre alibi testatur dicens. c *Exiui à patre & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad patrem.* c Ioan. 16. 28. Dicit etiam de missione sua per Isaiam. d *Et nunc misit me Dominus, & spiritus eius.* d Isa. 48. 16. Causam vero eiusdem missionis per eundem prophetam plenius ostendit, cum dicit: e *Spiritus Domini super me, eò quod vnxerit me. Euangelizare pauperibus misit me.* Cū vero missum se testetur à patre, & de coelo descendisse, non tamē descendit secundū hominem: quia f *veritas de terra orta est.* Secundum diuinitatem descendere non potuit: per quam, antequam assumeret hominē, in mundo fuit g. *Caelum & terram ego adimpleo*: vox ipsius est. Quomodo ergo pater filium misit: vel quomodo filius descendit?

e Isa. 61. 1 Luc 4. 18. f Psal. 84. 11.

Resolutio.

Fatres, in Christi persona duas credimus naturas: diuinam, & humanā. Secundū illam creauit omnia: secundum istam exaltatus est super omnia. h. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnia: vt adimpleret omnia.* De coelo missus descendit, quando ad hominis susceptionē se humiliauit.

h Ep. 4. 9.

Ait itaque. *Vado ad eum qui misit me.* Vado, id est, vadam: per tempus pręsens exprimens futurū. Et quia gloria ascensionis his verbis discipulis praedicta est; & ante ascensionem legitur: de ipsa ascensione; aliquid dicere debemus.

Cum dixisset; *vado ad eum, qui misit me*: statim adiecit: *& nemo ex vobis interrogat me quo vadis.* Saluatoris nostri ascensio multum fuit clara multū que sonora: quia in oculis discipulorū, & concentu angelorū celebrata est. De claritate dicitur: *& videntibus illis eleuatus est.* De sonoritate vero scriptū est in psalmo. k *Ascendit Deus in iubilo: & Dominus in voce tubae.* Quantus fuerit ascēdente Christo iubilus in cordibus discipulorū, & tubicinatio in laudibus angelorū non est necesse testimonia quaerere: cum frequenter legamus quorundā Sanctorum animas cum tripudio & cōcentu angelico coelos penetrasse.

Ascensio Christi clara Apostolis fuit. i Act. 1. 9. Sonora Angelis. k Psal. 46. 6.

Sol iste materialis & visibilis, per quem Christus sepè in scripturis desig-

Comparatio cū car.

designatur; cum magno splendore atque fragore manè ascendit. Splédorem verò videmus, sed fragorem minus audimus: & hoc ideò, quia in ortu suo occidétalibus nimis est remotus. Qui in India sunt, fragorem solis in ortu eius audiũt: sicut testis est quidam clericus de India nuper veniens. Nam se audisse frequentius testatur. Aiunt enim philosophi, quod septem planetæ, ex quibus sol præcipuus est, cum suauissima harmonia circumeant; rationem satis probabilem assignantes, quare à nobis non possit audiri. Vnde Iob. l. *Concentum cœli dormire quis faciet?*

Stat fides penes dicentem.

Intelliguntur dicere de symmetria ordinationis inter sese: nõ de cõcẽtu reali.

lIob 38.67 Non ergo necesse erat discipulis, ascendente Christo sole iustitię, interrogare, quò vadis: cùm nubes susciperet eum ab oculis eorum: & angelis testificantibus tam de reditu, quam de ascensu illius edocerẽtur. Vox angelorum est. m. *Viri Galilai, quid admiramini, aspicientes in cœlum? hic Iesus, qui assumptus est à vobis in cœlum; sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntẽ in cœlum.* Moraliter:

m Actor. 1

In Cõuersio timor & amor est.

Quando Christus per gratiam oritur in corde humano; duo hæc, splendorem videlicet & fragorem, ibi spiritualiter operatur. Splendorem in illuminatione: fragorem vel sonum in timore. Timor animam concutit. Vnde ergo rugitus, suspiria, singultus, & gemitus in anima peccatoris; nisi ex fragore diuini amoris? Manè ascendente sole, quantò plus apud Indos proficit in splendore: tanto amplius deficit in fragore. Non nisi proximus terræ auditur: & quantò altior, tantò sonus circuitionis lenior. Ita fit & in anima. Splendor solis, amor; fragor, timor est. Quantò anima proficit in amore cœlestis patriæ: tantò in illa minuitur timor gehennæ. Rectè ergo Dominus dicit: vado ad eum, qui misit me: & nemo ex vobis interrogat me, quo vadis. Manè, quando sol oritur, ridiculosum esset quærere quo iturus sit: cum cursus eius, ascensus videlicet ad meridiem, & descensus ad occidentem ex vsu quotidiano nobis vilescat. Sequitur:

Sit ita de protasi cõ paratiõis.

Apodosis apta est.

Sed, quia hæc locutus sum vobis; tristitia impleuit cor vestrum. Tanto affectu carnales adhuc discipuli Domino carnaliter adhęrebant: vt eius præsentiam corporalem vniuersis donis spiritualibus anteferrent. Sic in eius aspectu delectabantur, sic in eius verbis atq; factis iocundabantur: vt illum videre, & audire paradisi delitijs, omnibusque bonis gratiæ spiritualis præponerent. Nec mirum. Ipse est enim thesaurus ille absconditus, & margarita preciosa: quem vt possiderent, omnia sua relinquendo distraxerant. Magnus thesaurus ipse erat in sapientia prędicationis: margarita in nitore cõuersationis. Quam fuerit Dominus secundum naturam assumptam delectabilis, affabilis, gratiosus, atque speciosus; satis nobis, vt dictũ est, Apostolorum declarat affęctus.

n Mat. 13. 14.

Christi præsentia dulcis discipulis: ideo ascensio tristis.

In quorum persona, anima vxor Tobiæ filij peregrinationem deflẽs, his verbis vsa est. o. *Heu me, fili mi, vt quid te misimus peregrinari: lumen oculorum nostrorum baculum senectutis nostræ: spem posteritatis nostræ. Omnia simul in te vno habentes: te non debuimus dimittere à nobis.* Pauperes erant

oTob. 10. 4

erant Apostoli pauperem, propter pauperem Christum, vitam ducentes. Omnia tamen desideria in Christo habentes, prædictam ab eo peregrinationem, id est, in cœlum ascensionem æquanimiter portare non poterant. Quos ipse consolans ait:

Attamen perutilis & necessaria.

Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis, vt ego vadam. Fructum eiusdem recessus mox exponens sub quadam comminatione, subiunxit: ***Si enim non abiero: paracletus non veniet ad vos.*** Paracletus interpretatur consolator. Habebant tunc temporis Apostoli spiritum sanctum; sed non paracletum: quia carnales, quia timidi, quia sine scientia litterali. In die verò Pentecostes idem spiritus sanctus descendens super eos in linguis igneis, factus est eis paracletus, id est, consolatorius: de carnalibus creãs spirituales, de terrenis cœlestes, de timidis fortes: illitteratis tribuens omnium linguarum scientiam, in prædicatione facundiam, feruorem, atque constantiam. Vnde rectè de eodem spiritu subditur:

Aduenientis S. Spiritus iudiciũ triplex.

Cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. Hoc prædicantibus ipsis Apostolis impletum est. Quod dixit, mox exposuit, cùm subiunxit: ***De peccato quidem: quia non crediderunt in me. De iustitia vero, quia ad patrem vado, & iam non videbitis me***, id est, talem, qualem me modò videtis. ***De iudicio autem: quia princeps huius mundi iudicatus est.*** Beatus Augustinus locum istum sic exponit. Arguitur de peccato; quia in Christum nõ credidit: & arguitur de iustitia eorum, qui credunt. Ipsa enim fideliũ comparatio, infidelium est vituperatio.

Credant igitur homines in Christum, ne arguantur de peccato infidelitatis: transeant in numerum fidelium, ne arguantur de iustitia eorum, quos iustificatos non imitãtur. Caueant futurum iudicium; ne cum mundi principe iudicentur; quem iudicatum imitantur.

Idem hodieque viget de peccato incredulitatis.

Vsque hodie per ora prædicatorũ de peccato incredulitatis arguitur mundus. 1. Vt enim taceam de infidelibus, nõ omnes Christiani, immò respectu multitudinis, pauci credũt in Christum. Credunt Christum esse filiũ Dei, natum de virgine, passum, resurrexisse à mortuis; & si qua alia de illo sunt credenda. Credunt etiã Christo, id est, Euangelio eius, sciẽtes esse vera, quæcunque dixit, egit, vel promisit: sed non credũt in Christum. Credere in Christum est, fide, & charitate, ire in ipsum. Non, qui credunt Christũ, vel Christo; sed qui credit in Christum, habet vitam æternam.

Differunt Credere 1. Christũ. 2. Christo. 3. In Christum.

Cum prædicatores in credẽtibus reprehendunt peccata mortalia, vt est fornicatio, adulterium, periuria, fraus, rapina, hisque similia: Spiritus sanctus per ora illorum arguit eos de peccato; eò quod non credãt in Iesum. Si in IESVM crederẽt: Iesum diligerent. Qui alium purè diligit, quicquid illi nouerit contrarium, committere pertimescit. Virtutem huius orationis: ***credere in Christum***: diabolus benè intelligit. Cùm in quodam obsesso, ante annos paucos, compelleretur dicere symbolum: in nullo modo ad hoc induci

Exemplũ de dæmone nõ credente in Deum.

duci poterat, vt diceret: *Credo in Deum*, cùm tamen frequentius & inoffensè diceret: *credo* Deo, *& credo Deum*. Dæmon credit, nec diligit

tem de iustitia. Arguit etiam Spiritus S. mundum de iustitia. De qua iustitia? Facta? Nō, sed neglecta. Hodie, heu! rara auis in terris, iustitia in iudicijs. Multi his temporibus iustitiam discūt: sed iustitiam non faciunt. Et videtur impletum in eis illud propheticum: p.*iustitiam discent omnes habitatores terra.* p Ps. 26.9

Digressio in Leguleios. Hodie adolescentes iuuenes, & senes passim currunt ad discendas Leges, ad iura, ad decreta: neque alicuius sciētiæ iudicatur, qui ignorauerit illa. Non discunt multi ex eis, vt dicit Isaias, facere iustitiam: sed vt lucrētur pecuniam. Maiorem hodie, fidē excepta, iustitiam in suis causis exercent Ethnici, quā Christiani. In iure sæculari atque ciuili tanta est iniuria, fraus, & auaritia; vt iniuriā patientes à suis coæqualibus vel etiam inferioribus apud iudices querimoniam deponere pertimescant. Iustificatur tamen à Iure ecclesiastico. Cum causidici sæculares manus venales habeant, & causas ipsas leuioris muneris gratia decidant. Clerici iurisperiti linguas non solum non vendunt, sed & ipsas causas, ob impinguandum salariū, semper protrahunt, sententiamque diffinitiuam, quantum valent impediunt. Inque Iuristas iniuriosos.

Vox libera Prædicatoris & vera. Vnde anno præterito quidam de Ordine Prædicatorum Coloniæ de talibus in publico prædicauit. Carnifices,* inquit, iustiores sunt hodie aduocatis nostris. Ij carnes suas vēdunt, nec recipiunt: isti linguā vendunt: pretium recipiunt, & tamen lingua carere nolunt. Carebunt verò in futuro; vbi neque pro seipsis, neque pro alijs allegare permittentur. Vnde cum nuper quidam Aduocatus in Saxonia mortuus esset: non est inuenta lingua in ore eius.

*Laniones intelligit.

Exemplū Linguæ venalis, ac forensis rabulæ causam optimam pessundātis. Cùm ante aliquot annos Moguntiæ, inter duos clericos, vnum diuitem, & alterum pauperem, super quadam ecclesia contenderetur; & vtriusque partis aduocati verbis diu disceptassent: tandem pauperis aduocatus, sicut multis videbatur, à diuite corruptus se victum simulans cedere cœpit. Missi sunt à iudicibus, qui pauperi suaderent, vt ante sententiam se gratiæ submitteret. Qui, cùm in ancipiti staret, atque nutaret; Spiritus sanctus per os Sacristæ ecclesiæ illius, viri boni atq; iurisperiti cœpit arguere tam aduocatum, quam iudices de iustitia dissimulata. Et prosiliens sic ait pauperi: Domine clerice: state, nolite cedere: ego causam vestram suscipiam. Quid plura? Tam rationabilibus allegationibus aduersæ parti institit; vt clerico destituto ecclesiam suam obtineret.

Timeant ergo huiusmodi aduocati: quia Christus vadit ad patrem; non vt pro illis interpellat: sed vt iniustè iudicantes iustè iudicet. Vox eius est. *Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.* Ps. 74.3.

Demū de iudicio Iudicū corruptorū. Arguit & de iudicio mundum Spiritus sanctus. Iudices in causis non debent attendere personam: sed semper in manu tenere libram. Non debet temperare lances stateræ, non amor, non timor, non munus, non inuidia: sed iustitia. vt diabo-

diabolus, iustitiæ inimicus, qui est princeps mundi huius, à iudicijs fidelium prorsus excludatur. Ipse sæpè per Mammonam libram ingreditur: cuius pondere nonnumquam sic lances inæquantur; vt eam, quæ partem tenet iniquam, deponat: alteramque, quasi minus iustè habentem, suspendat.

Ideoq; puniendorū. Quod Iudices summopere caueant; quia Christus, qui est sol iustitiæ, cui q. *pater dedit omne iudicium*; in extremo iudicio ingredietur libram: vt nunc subdolè iudicantes, tunc clarè iusteque iudicet. Vnde quotidie clamat in Psalmo: r *Iustè iudicate filij hominum*. Item in Euangelio. s. *Qua mensura mensi fueritis; remetietur vobis*. Quantum Spiritui sancto in iudicibus iustum iudicium placeat, subsequens exemplum demonstrat.

q Ioa.5.22
r Ps.57.2.
s Luc.6.38

Exemplū iusti iudicis. Episcopus quidam Leodiensis, cū in Capella sua tempore Quadragesimali sederet & Psalmos legeret; venissetque ad tertium versiculū Psalmi centesimi quinti; aliquis ex officio ingressus ait: Domine, quid iubetis, vt fiat de facinoroso illo? Respondente Episcopo: parce pauperi, propter sacrum tempus: oculos ad Psalmum reflexit. Et ecce versiculus occurrit. f. *Beati qui custodiunt iudicium, & faciunt iustitiam in omni tempore*. Statim ac si argueretur à Spiritu sancto de neglecto iudicio, iudicem reuocauit: & vt rigorem iustitiæ circa reum exerceret, præcepit. Sequitur:

Adbuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modò. Vt enim taceam de charismatibus Spiritus sancti, quæ innumerabilia

Apostolorū doctor S. Spiritus.

sunt: quomodo homines simplices, & idiotæ, vt tunc temporis erant Apostoli, scientiam omnium linguarū intellectu caperent, & memoria portarent, nisi ex quodam speciali dono atque virtute Spiritus sancti? Nos in vna lingua Latina scilicet ab infantia exercitamur, nec tamen eam ad plenum discere, vel perfectè proferre valemus. Vbi vero spiritus S. doctor est; citò discitur quod docetur. De quo & subditur:

Cum autem venerit Spiritus ille veritatis: docebit vos omnem veritatē. Veritas Pater, veritas filius, veritas ipse est Spiritus sanctus. Vtriusque Spiritus, est Spiritus sanctus: quia ab vtroque procedit. Benè autem dicitur Spiritus veritatis, non veritatum; quia licet quælibet in Trinitate persona sit veritas; non tamen tres sunt veritates, sicut nec tres dij, nec tres Domini, nec tres immensi, nec tres æterni.

Et istiaus est vnus Deus verax.

Dicitur etiam Spiritus veritatis, Spiritus sanctus: ad differentiā Spiritus maligni, qui totus t. *mendax est, & pater eius*. De quo scriptū est in libro Regum. u. *Egressus est autē Spiritus & stetit coram Domino & ait: Ego decipiam Achab. Cui locutus est Dominus: In quo? Et ille: Egrediar, & ero Spiritus mendax in ore omniū prophetarū eius*. Caueamus ergò fratres, ne ab hoc spiritu erroris decipiāur, p fantasticas visiōes seu reuelatiōes.

t Ioa.8.44
u 3. Re.22

Docet omnia. Spiritus sanctus nō docet, nisi vera, nisi sancta. Docuit in aduentu suo Apostolos sermonē sapientię & scientiæ, fidem, gratiam sanitatum, operationē virtutū, prophetiā, discretionē spirituū, genera linguarū, inter-

interpretationem sermonum: &,vt breuiter comprehendam, quicquid ipsis,vel saluti credentium fu.t necessarium.

Sed diuersimode. Docet nos idem Spiritus sanctus aliquando inspiratione consilij:aliquando instructione præcepti: aliquando correptione flagelli: aliquando comminatione supplicij aliquando consolatione beneficij: docebit & retributione præmij.

Alia interpretatio literalis. Potest adhuc aliter intelligi,quod dicit: *docebit vos omnem veritatem*. Omnis veritas Christus est. Vnde &

x Ioa.14.6 dicit: x. *Ego sum veritas*. Ipse veritas in diuina; ipse veritas & in humana natura est. De illa dicit Dau.d in

y Ps.42.3 Psalmo: y. *Emitte lucem tuam & ve-*

z Ps.84.12 *ritatem tuam*. De ista vero: *Veritas de terra orta est*. Est ergo sensus.Ipse vos docebit omnem veritatem, id est,quid de me sit sentiendum, quid quid de me prædicandum, vel quomodo in me credendum.Est ergò omnis veritas Christus: quia ab ipso omnis veritas. a. *Non enim loquetur*

a Ioa.16.6 *à seipso*. Hoc dicit: quia non est à seipso. Sicut de patre natus est filius, ita & de patre procedit Spiritus sanctus.

Quæcumque audiet,à patre scilicet, *illa loquetur.& quæ ventura sunt,annunciabit vobis*. Sicut legitur in Actibus

b Act.11.28 Apostolorum b. annunciauit Spiritus sanctus per Agabum Prophetam Apostolo Paulo, *quæ ventura erant illi in Hierusalem*. Similiter & ipse Apostolus docente Spiritu sancto, multa quæ futura erant tam ipsi, quam ecclesiæ in Apostolis suis annunciat.

Ille me clarificabit, quia de meo accipiet,& annunciabit vobis. De meo, id est,patre: quia c. *omnia quæ habet pa-* c Ioan.16.

ter,mea sunt. Vterque accipit à Patre: non solum quod annunciat:sed quod est. Accepit filius à Patre per generationem,vt sit Deus: & de eodē accipit Spiritus sanctus per processionem, vt sit Deus. Vnde Augu- Augustin.

stinus. *Sicut præstat essentiam filio de patre generatio: ita & spiritui sancto præstat essentiam de vtroque processio*.

De annunciatione sua dicit filius. d d Ioan.14

Omnia quæcumque audiui à patre meo, nota feci vobis. De annunciatione verò Spiritus sancti,eisdem dicit A-

postolis. e. *Ille vos docebit omnia,& suggeret vobis omnia quæcumque dixero vobis*. Cuius vocem nobis audire, & suggestionem recipere concedat Pater & Filius: à quibus procedit idem Spiritus sanctus. Amen. e Io.14.26

DOMINICA QVINTA POST PASCHA.

Secundum Iohan. Cap. 16.



IN illo tempore: *Dixit Iesus discipulis suis. Amen dico vobis: si quid petieritis patrem in nomine meo: dabit vobis*. Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM lectione.

Sermo De oratione petitoria.

LAeta promissio.Veritatis verba sunt: fallere non norunt. Ait enim in alio loco veritas ipsa. a. *Cœlum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt*. In

Promissa diuina nō fallunt vti humana. nobis, qui puri homines sumus, petitionis effectum duo frequenter impediunt: videlicet naturæ mutabilitas, & necessitas. Aliquando ea promittimus; quæ nos promisisse

postea

postea dolemus: aliquando etiam ea promittimus, etiamsi adsit bona voluntas, quæ soluere non valemus. Duo hæc in Deum non cadunt: cuius natura mutabilis non est; cuius potentia atque diuitiæ comprehendi non possunt. Cum homo modicum habere possit & modicum det; hoc ipsum nõnunquam improperat: Deus *vero* b *affluenter dat omnibus, & non improperat*. Et quod maioris benignitatis indicium est; etiam ad petendum nos incitat. *Petite*, inquit, *& accipietis*.

Beneficta neque improperantur vt humana.

b Iac. 1. 5.

Sed dicit Christianus: Ego in nomine *Iesu* frequenter peto; & non accipio. Bene. Tu scis, quod petis: sed quid vel quomodo petas, nõ discernis. Cum Deus petitur, quatuor ibi sunt consideranda: videlicet quis, quid, quare, vel quomodo petat. Primo loco consideranda est persona petens, & status. Secundo loco, vtrum hoc, quod petit salutiferum sit, vel saluti contrarium. Tertio loco, si necessitas sit in causa propria, vel aliena. Quarto loco, si ipsa oratio tepida sit, vel deuota.

In petitione consideranda sunt quatuor.

I. Quis petat

Consideranda est, inquam, persona: hoc est si bona sit, an mala: & status personæ, id est, si in charitate sit an in mortali. Charitas vero personam facit bonam: mortale malam. Quod si in mortali est, & orauerit, dicit ei scriptura: c *peccatores nõ audit Deus*.

c Ioan. 9. 31.

Hoc tamen scire debet charitas vestra, quod aliquando Deus respiciat in petitionem, & non in petentem: aliquando in petentem, & non in petitionem: aliquando in vtrumque: aliquando in neutrum. 1. Quod Deus respiciat quandoque in petitionem, & non petentem; exemplum habemus in Iob: d. vbi petitio sathanæ contra eundem virum sanctum exaudita est. 2. Quod è conuerso aliquando Deus respiciat in petentem & non in petitionem, testis est D. Paulus, qui dicit, e. se non esse exauditum, cum oraret pro stimulo carnis remouendo. 3. Quod vero aliquando respiciat in vtrumque, orãtem scilicet, & orationem: attende Susannam, f. cuius oratio exaudita est cum tribularetur. Vnde scriptum est. g *Respexit in orationem humilium: & non spreuit precem eorum*. 4. Quod autem in neutrum respiciat aliquando Dominus, vsus probat quotidianus: quia frequenter videmus orare malos, nec aliquid consequi ex his, pro quibus orant. Qui in mortali est; nõ exaudit eum Deus pater in salutem: quia *Iesu*, id est, salutis amicus non est. Qui verò in charitate, & ex charitate orat Deum; dignum est vt oratio eius consequatur effectum. Huiusmodi oratoribus dicitur. *Si quid petieritis patrem in nomine meo dabit vobis*. Aliquando statim, aliquando differtur vsque ad tempus congruum, quod petitur: aliquando vsque in futurum.

In hoc quadruplex varietas contingit.

I.

d Iob. 1.

II.

e 2. Cor. 12. 9.

III.

f. Dan. 13.

IIII.

2. Cum dicit, *in nomine meo*: ostendit quid sit petendum. *Iesus* interpretatur Saluator, vel salus. Vt ait Isidorus: *sæpe multos non audit Deus ad voluntatem: vt exaudiat ad salutẽ*. Nam, dum quærimus salutem: dat nobis infirmitatem. O homo si vis exaudiri dignè: digna pete. Hoc Deum postulabis; quod ad Deum pertinet dare. Si in charitate es, & contra charitatem petis; non te Deus exaudiet: ne charitatem in te destruat.

2. Quid petatur.

Isidorus.

 Noli

Noli ergo orationem tuam aliqua circumstantia deformare; vt æterna petas, non temporalia. Si terrena petis, oratio tua caret materia: si non ex charitate; priuatur forma.

3. Quare petatur. Debet etiam petens in oratione sua considerare, quare quid petat: id est, qua intentione, qua ve necessitate: quia si homo petat aliquid supra se, vt sunt miracula, & illa absque certa necessitate: dicit ei scriptura. h *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Sed dicis: Non tento Deum, quia hæc inter promissa sunt à Deo. Ait enim. i *Omnia, quæcunque credentes petieritis in oratione, accipietis.* Item in alio loco. k *Opera, quæ ego facio, & vos facietis: & maiora horum facietis.* Hæc nobis, fratres, promissa sunt à Christo. Maiora legimus facta à discipulis Christi; quam ab ipso Christo. Legamus Acta Apostolorum, legamus passiones sanctorum; necnon & Vitas patrum; & inueniemus ibi tanta ac talia miracula à sanctis facta, qualia oratio non præsumeret. Tanti valoris ac ponderis est oratio pura & feruida: vt etiam l. montem transferat de loco suo. Vt enim de antiquis taceam miraculis: quid cuidam oranti, ante non multos annos contigerit in domo nostra, retexam.

h Luc. 4. 12.
Orationis vis admiranda.
i Ioan. 14. 14.
k. Ioan. 14. 12.
l Mat. 15. 20.

Exemplū mouentis saxum ingens oratione. Theodoricus de Lureche monachus noster, quondam Canonicus Bonnensis, quem multi nostri nouerunt, die quadam cum Conuentu exierat ad lapides eruendos de monte, proximo monasterio. Cumq; maximum lapidem à Conuentu semotus conspiceret; quadam ductus curiositate instrumentum admouit: sed nihil prorsus profecit. Nec mirum. Fuerat siquidem tantæ quantitatis, sicque terræ radicitus infixus; vt à viginti viris non posset moueri. Recordatus Dominicę promissiōis, genua flexit & orauit. Completaq; Angelica salutatione, cū oratione Dominica; mox vt manus apposuit, lapis virtute diuina leuatus exilijt. Et cum se in saltus daret, vix euadere potuit subtus laborans Conuentus Theodorici clamoribus monitus. Hæc vero in confessione Domino Henrico Abbati recitans, rogauit ne alicui hominum diceret, quoad viueret: quod & fecit. Nam vsque hodie eiusdem miraculi testis est.

4. Quomodo petatur. Huc sex necessaria. In oratione etiam modus petendi considerandus est. Cum fiducia, & feruore, cum instantia, & intentioue, cum perseuerantia, & timore Deus exorandus est. *Cum fiducia:* quia inaniter oramus, si spei fiduciam non habemus. 2. De *feruore* orationis dicit Dauid in psalmo m. *Dirigatur oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.* Sicut enim fumus ex igne nascens tendit in altum: sic oratio feruens & deuota ex igne charitatis orta, ascendit in cœlum. 3. De *instantia* orationis dicit Apostolus. n *Sine intermissione orantes.* Item Apostolus Iacobus. o *Multum valet oratio iusti assidua.* Ad instantiam orationis etiam nos Dominus hortatur in Euangelio per diuersas parabolas: vti est de iudice iniquo, p. & vidua: item de q. amico, qui surgens panes accommodat petenti. 4. De *perseuerantia* vero orationis legitur in Actibus Apostolorum de discipulis: r. *quod erant omnes vnanimiter perseuerantes in oratione.* s De *intentione* orationis dicit Glossa super illud Apostoli Petri. s

m. Ps. 140. 2.
Simile.
n. 1. Thes. 5. 17.
o Iac. 5.
p Lu. 18 6.
q Lu. 11 5.
r Ac. 2. 42.
s 1. Petri 4. 7.

tri: *vigilantes in oratione*. Ne animus aliquid cogitet, præter id solum, quod precatur, cum ad orandum stamus; omnis carnalis cogitatio absistat: intentio cordis sincera Deum non sono vocis, sed sensu animi oret. 6. De *humili ac timorata* oratione exemplum habemus de publicano: t qui, teste Domino, *Iustificatus exiuit de templo*.

t *Luc.18. 14.*

Sex istis contraria corrũpunt orationẽ.

Videamus nunc, fratres, quantum hæc, quæ enumerata sunt, in oratione Deo placeant, ex eorum contrarijs. *Oratio hæsitans* contraria est fiduciali: oratio tepida, feruenti: oratio remissa, importunæ vel instanti: oratio negligens, intentæ: oratio deficiens, perseueranti: oratio præsumtuosa, timidę & reuerenti.

I. Aduertite de singulis. 1. Vir in oratione *hæsitans*, vt ait Iacobus, similis est fluctui maris, qui à vento mouetur & circumfertur: neque portum desideratum apprehendere valet talis oratio. 2. *Oratio tepida*

II.

muscas cogitationum inutilium innitat: per quam u. vnguenti suauitas, id est, deuotionis dulcedo extinguitur. 3. *Oratio remissa* Deum excitare non valet. Cum Moyses manus deponeret in oratione, x. vicit Amalech. 4. *Oratio negligens* simia est in tecto: psitacus in domo. Illa gestus, iste voces hominum imitatur. Quis docuit psitacum suum χαῖρε? Aliquando sic oramus, sic psallimus, vt quid dictum sit, siue hoc quod dicendum est, prolatum sit, ignoramus. Talis oratio dolosa est; quia aliud habet in ore, atque aliud versat in corde. Quomodo Deus orationem nostram audiret, intelligeret, vel intenderet; quando dicimus ei in psalmo: *verba mea auribus percipe Domine, intellige clamorem meum: intende voci orationis meæ*: cum nos ipsos non audiamus, non intelligamus, & quid dixerimus, non intendamus? Non ergo sine causa per quendam sapientem dicitur. y *Ne iteres verbum in oratione*, id est, ne ita negligenter ores, vt iterum oporteat te verba orationis, vel psalmos repetere. 5. *Oratio deficiens* vel desperãs nuncius est missus: & sine effectu reuersus. Ipsa est flos sine fructu; flos cadẽs 6. *Oratio superba* qualis erat z. Pharisæi, aduocatus est coram principe velato capite allegãs, quod turpe est. Hinc est quod nudo capite, & sine appodiatione orationes solemnes dicere consueuimus; vt per reuerentiam & humilitatem orationis Deum exaudibilem nobis faciamus.

u *Ecc.10.1.*

III.

x *Exo.17. 11.*

IIII.

y *Ec.19.7.*

V.

VI.

z *Luc.18. 13.*

Machometus infelicissimus sciens hęc discipulis suis Iesum promisisse, & ipse suis promisit, quod quicquid peterent Deum in nomine suo, pro quocumque peccato; scirent se exaudiendos esse. Et est vsque hodie omnibus Saracenis, legem eius tenẽtibus, occasio maximi peccati. Putant enim impune transire, quicquid faciunt: dummodo nomen Machometi inuocent in oratione. Sed nomen Machometi non est nomen Salutis & medicinæ, sicut nomen Iesu: sed potius nomen latrocinij, & luxuriæ. Videtur enim in Latino idiomate descendere à mœchia, vel à machæra: satis ei congruens, qui totus adulterijs, & latrocinijs deditus erat. Nam ad consilium cuiusdam Iudæi nouam legem condidit: de

Digressio in Machometum.

vtroque aliquid inferens testamento. Et quia Iudæos adorare sciebat versus occidentem, Christianos vero versus orientem; suis, vt orarent versus meridiem mandauit.

Quia iam in longum orationis causa sermonem extendimus, reliqua lectionis Euangelicæ sub compendio exponenda sunt.

Cum præmisisset Dominus, *Amen, dico vobis, si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis*: protinus subiunxit: *Vsque modo non petistis quidquam in nomine meo*. Corporaliter ei discipuli adhærentes nō spiritualia & permansura; sed temporalia petere nouerunt. Vnde Iacobus & Iohannes, putantes eum regnaturum in hoc mundo, petierunt, a. *vt vnus ad dexteram, & alter ad sinistram eius sedere deberet*.

Temporalium petitio.

a. *Mat*. 20. 21.

Sed Dominus huiusmodi petitionem, qua petuntur transitoria, nullam reputans: cùm tamen libenter atque frequenter ea tribuat Dominus; ad spiritualia, & æterna petenda discipulos hortatur, dicens: *Petite, & accipietis: vt gaudium vestrum sit plenum*. Quando electi bona æterna desiderant, & illa petunt; gaudium, quod ex illorum surgit desiderio, hic quidem inchoatur; & in futuro cōsummatur. Trāsitoria quædam sunt adiectiua: æterna vero substantiua, quia permanentia. Vnde alibi Dominus b. dicit: *Petite primum regnum Dei, & iustitiam eius: & hæc omnia adiicientur vobis*.

A Christo non attenditur.

Iubetque peti æterna.

b. *Mat*. 6. 33.

Hæc in prouerbijs locutus sum vobis. Quia nonerat illos verba sua m nus intelligere, prouerbialia iudicabat in cordibus eorū. Quidquid homo audit & non intelligit, prouerbium est illi.

Venit hora cum iam non in prouerbijs sed palam de patre annunciabo vobis. Hoc impletum est in aduentu spiritus sancti: cuius virtute datum est eis intelligere mysterium Trinitatis & vnitatis.

Quod autem subditur; *illo die in nomine meo petetis*: ad hoc spectat quod spiritus sanctus, qui pro sanctis c. *postulat gemitibus inenarrabilibus*; petere suggerit, quæ sunt salutis æternæ.

Ex instinctu Spiritus.

c. *Rom*. 8. 26.

Et non dico, quia rogabo patrem de vobis: tunc scilicet. Ac si dicat: Quā diu vobiscum sum patrem pro vobis rogabo; sed postquam ad patrem in cœlum ascendero; cum ipso rogata adimplebo. Quod autem alibi d. dicitur sedere *ad dexteram patris, vt interpellet pro nobis*: nihil aliud est, nisi quia caro sedens ad dexteram patris est certitudo & arrha, quod & caro nostra ascendet. Ita enim exponitur.

Et ipse cū Patre dabit petita.

d. *Rom*. 8. 34.

Ipse enim pater amat vos: quia vos me amastis. Hoc dictum videtur, quasi nostra dilectio causa sit diuinæ dilectionis circa nos: quod verum non est. Vnde in epistola sua Iohannes. e *Diligamus inuicem: quia charitas ex Deo est. Non quasi nos dilexerimus Deum: sed quia ipse prior dilexit nos: & misit filium suum propitiatorem pro peccatis nostris*. Dilexit Deus pater discipulos filij ab æterno prædestinando: dilexit eos in tempore iustificando: hæc dilectiō causa fuit amoris eorum circa filium. Quem quia dilexerunt eum sequendo, & pro eo omnia sua relinquendo, &, quod maius fuit, in eum credendo; hodie diliguntur à patre cœlestis præmij retributione.

Quia diligit suos prior prædestinando & iustificando.

e. 1. *Ioh*. 4. 12.

tione.

Vt fidem illorum magis accendat subiungit: *Exiui à patre: & veni in mundum. Iterum relinquo mundum; & vado ad patrem.* f *A summo cœlo egressio eius. & occursus eius vsque ad summum eius.* Exiuit à patre hominis susceptione: rediit ad patrem visibili ascensione.
f Psa. 8.7.

Dicunt ei discipuli eius: Ecce nunc palam loqueris: & prouerbium nullum dicis. Quia diuersis eis parabolis loqui solebat, & verba hæc plana videbantur; se intelligere putabant, quod non intellexerunt. *Vnde & dixerunt:*

Nunc scimus, quia scis omnia: & non est opus tibi, vt quis te interroget. Quasi dicant: Antequam aliquis quærat à te aliquid scis quæstionem, & soluis. Ita glossa exponit marginalis. Didicerant hoc multis experimentis; quia sæpè illorum verba præuenerat; cum eum interrogare vellent, cogitationibus illorum respondens. Vnde & dicunt: *In hoc credimus quia à Deo existi.* Nouerant solius Dei esse, cognoscere cogitationes hominum. Quia Dominus sermonem suum ab oratione cœpit, & gaudij plenitudinem in illa consistere prædixit; eundem gaudij nostri auctorem humiliter & instanter deprecemur, vt hoc nobis petere sua gratia suggerat, quod præstare non recuset. Cui cum Patre & Spiritu sancto sit laus & imperium, per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

IN GLORIOSA ASCENSIONE DOMINI NOSTRI Iesu Christi. Secundum Marc. Cap. 16.



IN illo tempore. *Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem illorum, & duritiam cordis: quia his, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Et reliqua.

HOMILIA DE EADEM Lectione.

DE corporali Saluatoris ascensione, quæ hodie videntibus discipulis celebrata est, pauca dicere propono: quia ad spiritualem eius ascensionem, qua quotidie exaltatur in corde humano, festino. Si non ascenderet in mente humana Dominus; non diceret Mariæ Magdalenæ: a *Noli me tangere: nondum ascendi ad patrem meum:* subaudi, in corde tuo. Serm. XX. a. Io. 20. 7.

Recumbentibus vndecim discipulis. Qui sunt vndecim discipuli: quę Iesu apparitio; & incredulitatis exprobratio, siue reliqua, quæ præsens sancti Euangelij lectio commemorat, secundum intellectum moralē; ipse nobis aperire dignetur; cuius gratia virtutum ascensiones in corde humano disponuntur. b. Psa. 83. 6.

Vndecim discipuli IESV sunt dona eius salutaria, sed imperfecta: quia vndenarius transgressionis numerus est; eò quod denarium primus transcendat, & infra duodenarium deficiat. Denarius significat decalogū legis: duodenarius verò multis resultat priuilegijs. In Christi donis imperfecti Apostoli fuerant. Id signatur Vndenario

Propter transgressionem vndenarij, Dauid in vndecimo Psalmo conqueritur dicens: c. *Saluum me fac Domine, quoniā defecit sanctus: quoniā diminutæ sunt veritates à filiis hominū.* Duodenario Apostolico per Iudam ad vndenarium deducto, sanctitas & veritas in vndecim Apostolis defecit. Iudas solus offendit; & scandalum omnibus induxit.

c Ps. 11. 2.

Omnes siquidem Apostoli tempore passionis Dominicæ dicuntur à charitate cecidisse: vnde & caluus in cruce stetit in loco Caluariæ. Nouerunt litterati hoc sacramentum. Helisæo in mōte posito, clamatum est à pueris. d. *Ascende calue, ascende calue.* Christo vero in cruce posito, dixerunt Iudæi; e. *Si filius Dei est; descendat de cruce.* Illius iniuriam vindicauerunt duo vrsi: huius vero duo principes Romani. Nam sicut capilli capiti; ita Christo qui caput est Ecclesiæ, adhærebant discipuli.

Hinc eorū à Christo defectio.

d 4. Reg. 2. 23.

e Mar. 15. 32.

Vndenarius etiam significat pœnitentiam: eo quod per septenarium multiplicatus surgat in septuagintaseptē. Petro quærenti, quoties in se peccanti dimittere deberet; respondet Christus: f. *Non dico tibi septies, sed septuagies septies* vniuersas in eodem numero comprehendens transgressiones. Hinc est quod in in tabernaculo federis vndecim saga g. cilicina Dominus fieri præcepit. Sagum ciliciinū habitus est pœnitentiæ.

Hinc quod eorundem pœnitētia

f Matt. 18. 22.

g. Ex. 26. 7.

Quando perfectus à perfecta charitate per mortale aliquod cadit; sicut quorūdam opinio est; imperfectus resurgit. Quare? Quia nemo repentè fit summus. Vnde auctoritas dicit super locum illū; si quis percusserit alium, & ille in lectum infirmitatis ceciderit: percussor tenetur percusso prouidere, & cętera. Percussus, qui cadit in lectum infirmitatis, est ille qui per mortale cadit à perfecta charitate. Hic in baculo vadit: cum debilis & imperfectus resurgit.

Sed imperfecti resurrexerunt à casu suo.

Dicit tamē alia auctoritas, quod pœnitentia non tantum delet peccata: sed etiam restituit ablata. Vtrumque verum est. Licet enim contritio peccatum, per quod iustus cecidit, quoad culpam, deleat, & per illam omnia mortificata reuiuiscāt: gradatim tamen, nisi valde fuerit efficax, delet pœnam, & pœnitentiam ad plenam perducit indulgentiam. Vnde sæpè legimus quosdam iustos post lapsum, post multa tempora, per maximos labores ad statū pristinæ perfectionis reuersos fuisse: & hoc ipsum per quædam signa exteriora ipsis innotuisse.

Amissa tamen dona receperūt

Per efficacem pœnitentiam.

Ait itaque sanctus Euangelista; *Recumbentibus vndecim discipulis*, & cæt. Ipse recubitus discipulorum quandam innuit imperfectionem; quæ tunc temporis in eis fuit. Recubitus vel sessio signum imperfectionis est, & gratiæ: statio verò perfectionis, & gloriæ. Apostolus credentes hortatur stare in Domino.

Sed quæritur, quomodo IESVS exprobrauerit incredulitatem discipulorum die quadragesimo; cùm in ipsa die resurrectionis legatur eis cum insufflatione dedisse spiritum sanctum? Ad quod respondere possumus: quod hæc præpositio (*in*) remouet tantum, & non ponit. Remouet fidei perfectionem, quæ tunc

Dubiū de tempore.

Responsio

temporis discipulis defuit: sed vitium infidelitatis ibi non ponit; quia gratia spiritus sancti non potest esse in corde infideli. Vnde cum cuidam Dominus pro filio petenti infirmo diceret: *si potes* i. *credere, omnia possibilia erunt credenti: respondit ille: Credo Domine: adiuua incredulitatem meam.*

i. Mar. 9. 24.

Imo ad perfectionem quoque perducti sunt.

Vt autem Dominus ad perfectam fidem resurrectionis suæ discipulos perduceret, *in multis argumentis per dies quadraginta eis apparere dignatus est*. Quadragenarius numerus est pœnitentiæ: per quam lapsi mens perfectioni restituitur subtractæ. Idem hic per quadragenarium quod supra per vndenarium exprimitur Sicut enim non nisi per vndenarium numerando ascendere possumus ad duodenarium: ita peccator non nisi per condignam pœnitentiam redire valet ad perfectionis gradū. Hinc est quod post Christi ascensionem statim Petrus loco Iudæ Matthiam ordinauit, vt numerus apostolicæ perfectionis adimpleretur.

Alia explicatio. Christus pœnitentes consolatur.

Moraliter vero Iesus vndecim discipulis recumbentibus apparet: quādo pœnitentis mentem præsentia suæ consolationis lætificat.

Inque spē erigit.

Vitium incredulitatis, & duritiam cordis exprobrat; cum per spem mētem erigendo, & per amorem inflāmando ipsam duritiam cordis, quæ ex frigore nascitur timoris, resoluit & mollificat.

Timentes nihilominus saluti.

Causam vero eiusdem incredulitatis, siue duritiæ cordis mox aperit, cum subiungit: *Quia his qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt.* Quidam ita sunt scrupulosi, & post lapsum tam timidi: vt semper timeant Iesum in se non resurrexisse per gratiæ restitutionem. Memini me dixisse in Homilia Paschali, Mariam Magdalenam & Mariam Iacobi, & Salomæ mulieres sanctas, de quibus illic agitur, ad litteram, iustificationes animæ designare interiores. Mariam Magdalenam contritionem: Mariam Iacobi oris confessionem: Salomæ satisfactionem exteriorem. Quando peccator post lapsum de peccatis suis contritus est, eaque confessus, credere debet eisdem iustificationibus, immo sacræ scripturæ, quæ in persona illarum loquitur. Vox contritionis est: k *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Item l. *In quacumque hora ingemuerit peccator: saluus erit.* Confessio quid dicit? m. *Dixi, confitebor aduersum me iniustitias meas Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei.* Tali ordine apparens Iesus discipulis suis quid dicit?

Vult vt credāt suæ promissioni.

k. Psal. 50.
l. Ezech. 33. 12.
m. Psa. 3. 5.

Ite in mundum vniuersum: prædicate Euangelium omni creaturæ. Mundus vniuersus tota hominis persona est. Mundus superior, homo est interior: mundus inferior, homo est exterior. Vnde quia maximam homo concordiam habet cum elementis, à Græcis microcosmos, id est, minor mundus vocatus est. Omnis creaturæ nomine, intelliguntur sensus omnes, tam animæ quam carnis. Discipuli Iesu, vt dictum est, sunt dona gratiæ eius salutaria. Quæ quibus vel quomodo prædicare debeant videamus.

Homo similis est mundo.

Infidelibus prædicandum erat Euangelium. Sicut per discipulos Iesu virtutes vel dona spiritualia intelliguntur: ita per gentes incredulas peccata vel vitia carnalia designan-

Apostoli prædicarunt Iudæis & gentibus.

nantur. Quædam vitia sunt spiritualia, vt superbia, ira inuidia: quædam vero carnalia, vt gula, luxuria, Illa in mente; ista continentur in carne. Cor designat Iudæam: corpus propter concordiam elementorum mundum vniuersum. Sicut cor in medio corporis: ita Iudæa in medio habitabilis nostræ terræ sita est. Vnde in psalmo. n *Qui operatus est salutem in medio terræ.*

n. *Ps.* 73. 12.

Iudaica peccata seu spiritalia sunt grauiore gentilitijs.

o. *Ps.* 75. 2.

Per Iudæos intelliguntur motus rationis, quibus Deus agnoscitur. quia o *notus in Iudæa Deus.* Per gentes vero motus figurantur sensualitatis; qui modicum differunt à pecoribus, quæ illæ adorabant. Erant & in Iudæa multi infideles, qui prædicatione Apostolorum indigebant: per quos multi illorum conuersi sunt. Grauior est culpa, quando peccatum surgit ex ratione. Plus peccauerunt Iudæi adorando Idola, propter agnitionem legis; quam gentes, quæ Deum ignorabant. Vnde omnibus prædicandum erat Euangelium.

vtrisque tamen euangelizādum est.

p. *Mar.* 1. 15.

q. *Ioa.* 15.

Euangelium enim bonum nuncium interpretatur. Quid hoc nuncio melius: p *pœnitentiam agite: appropinquat enim regnum cœlorum?* Quando virtutes gratia cooperante, secundum quod ipsa dicit: q. *ecce ego vobiscum sum,* contra vitia mouentur; motibus suis eundo vitijs ipsis prædicant. Ex quorum vocibus, dum illa restringuntur, quasi gentes incredulæ, prædicatoribus obediendo conuertuntur. Habent enim sanctæ virtutes in sancta scriptura voces suas.

Quatenus vitijs virtutes cohabitare possint: vt Iudæis gẽtes,

Sed dicis quis, Impossibile est vitia cohabitare virtutibus. Quod quidem verum est secundum aliquid. Quantum ad vsum illis cohabitare nequeuut: sed quantum ad fomitem de quo motus pollulant inordinati, habitare possunt; tributarij tamen.

r. *Ios.* 17. & *Iud.* 1.

Gentes. 7. vitia 7 significant.

Legimus r. quod in ingressu filiorum Israel in terram promissionis quasdam ex septem inmundis gentibus, (: per quas septem principalia vitia figurantur, vnde vitia surgunt vniuersa) factas fuisse tributarias eisdem filijs Israel. Quare hoc? Nimirum vt in eis experiretur Israel, si forte eis resisterent. Quotiens tributum negent, quantum virtutes exerceant, experitur vnusquisque nostrum in seipso. Augent tamen victoribus censum, id est, meritum: si viriliter reprimantur.

Retundũtur singula, singularum virtutũ vocibus

Aduertite fratres, quales sint voces singularum virtutum in prædicationibus suis. Vox humilitatis est contra superbiam. s *Noli altum sapere; sed time:* quia frangit Deus omne superbum. Item. t *Væ coronæ superbiæ.* Vox mansuetudinis est contra irā. u *Desine ab ira, & derelinque furorem.* Ira & furor vtrumque execrabilia sunt. Item. x *Ira non habet misericordiam: nec erumpens furor.* Charitas quid dicit inuidiæ? y. *Qui odit fratrem suum, homicida est.* Item z. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Et quid prædicat feruor sanctus acediæ? a *Vsquequo piger dormis? Manus remissa seruiet tributis* Item illud Senecæ. b *Magna iactura est, quæ per negligentiam fit.* Vox liberalitatis est ad auaritiam. c *Radix omnium malorum cupiditas. Ipsa est Idolorum seruitus.* Vox parsimoniæ contra gulam. d. *Qui diligit epulas, in egestate erit: & qui*

s. *Rom.* 11. 20.
t. *Isa.* 28. 1,
u. *Ps* 36. 8.
x. *Pr.* 27. 4
y. 1. *Ion.* 3. 15.
z. 1. *Ioan.* 4. 15.
a. *Pro.* 6 9.
b. *Sen. in Epistola.*
c. 1. *Tem.* 6. 2.
d. *Eccl.* 9. 22.

qui amat vinum, non ditabitur. Esca ventri & venter escæ: Deus & hunc & has destruet. Castitas sic prædicat luxuriæ. e. *Si præstas animæ concupiscentias eius; faciet te gaudium inimicis tuis?* In hunc modum cæteræ virtutes vitijs sibi oppositis prędicant. Sequitur:

e. Eccl. 18. 31.

Qui crediderit & baptizatus fuerit saluus erit. Credere autem verbo prædicationis, obedire est. Quomodo credere vel baptizari vitia vel peccata possint; satis dignum est quæstione. Quod peccata baptizentur, habemus testimonium Isaiæ. Ait enim. f. *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur: & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt,*

Et obediēdo Dei verbo emundantur.

f. Isai. 1. 18.

Sed in huiusmodi locutione attribuitur proprietati, quod est subiecti. Non enim Peccata vel vitia; sed mens per illa maculata lacrimis pœnitentiæ baptizatur, & baptizando dealbatur. Vnde Dauid pœnitens planius dicit: *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Non dicit peccata mea, sed me, id est, animam meam. Et adhuc expressius in alio loco. h. *Lauabo,* inquit, *per singulas noctes, id est,* singula peccata, *lectum meum,* scilicet conscientiam meam: *Lacrymis meis.*

Synechdochicos.

g. Psal. 50.

h. Psal. 50.

Quod vero sequitur: *qui non crediderit, condemnabitur:* ad pœnam pertinet peccatorum. Omnia siquidem peccata mortalia Deus animæ contritæ simul dimittit, quantum ad culpam, non quātum ad pœnam; nisi forte & ipsa contritio sit tam vehemens, vt sufficiat vtrumque delere simul. De quocunque illorum non satisfecerit digne: pœnæ illud amplius obligat purgatoriæ.

Dimissa culpa, at remanēte pœna temporali.

Habemus de hoc diuersa exempla, quod quidam post hanc vitam plus puniti sunt pro peccatis minoribus, quam pro maximis: quia pro hijs digne pœnituerunt: pro illis non. Ecce tali modo peccatum, id est, anima pro peccato condemnabitur, maiori vindictæ subiacendo in purgatorio, si non crediderit: id est: si non ad plenam satisfactionem hic obedierit.

Signa eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eijcient: linguis loquentur nouis: serpentes tollent: Et si mortiferum quid biberint; non eis nocebit: Supra ægros manus inponent, & bene habebunt. Quinque hic credentibus promittuntur, quæ ad litteram plurimos illorum fecisse legimus. Fiunt eadem in nobis quotidie spiritualiter. *Dæmones,* mores sunt peruersi, colloquia praua: quibus natura humana deorsum à dignitate suæ conditionis fluit, & vexatur. Dæmon interpretatur, deorsum fluens, vel criminator. Quādo is post conuersionem, qui superbus fuerat, libenter & frequenter loquitur de humilitate; luxuriosus de castitate; iracundus de mansuetudine; gulosus de abstinentia; ebriosus de sobrietate; diues & auarus de operibus misericordiæ, sicque de cæteris. signum est, quod gratia Spiritus sancti sit in eis.

Credentibus promissa quinque.

1. Eiectio malorum morum.

2. *Loqui linguis*, signum aduentus spiritus sancti fuit in Ecclesia primitiua. Signa, inquit, eos qui credunt. Quando hi, qui religionem profitentur, non de religiositate, sed de terrenis & sæcularibus ex consuetudine confabulantur; non

2. Colloquium bonum.

Q nouis

nouis, sed adhuc veteribus linguis loquuntur. Qui nati sunt de filijs transinigrationis, cum in Hierusalem loquerentur lingua Chananitica, & Azotica, & nescirent loqui Iudaica; de hæreditate Domini eiecti sunt. Iudea interpretatur confessio, vel laudatio, vel glorificatio. Qui in religione sunt, nec Deum religiosis atque ædificatorijs collationibus laudant, nonnunquam fit, vt propter verba scurrilia atque secularia per apostasiam etiam labantur ad opera consimilia.

3. Exẽplaris vita.

3. *Serpentes tollent.* Bene post nouitatem linguarum promittitur sublatio serpentum, vel serpentium: vt sit participium, non nomen. Per eloquia casta verbaque ædificatoria frequenter hi, qui terram, sicut serpentes, comedunt; qui corde & ventre se in terra trahunt; de terrenis scilicet & carnalibus semper cogitando; de illis semper loquendo; & cum delectatione illis vtendo: eriguntur, & ad contemplationem cœlestium sustolluntur.

4. Non facile peccare.

Et si mortiferum quid biberint; non eis nocebit. Vt enim taceam de carnalibus, sæpe diabolus potionem mortiferam, felle suæ malitiæ confectam & infectam, etiam viris sanctis offert, per peccati mortalis suggestionem: quam illi nonnunquam recipiẽdo bibunt per delectationẽ, sed non eis nocet: quia non placet.

Ob charitatis vim.

Nullum peccatum mortale est, dum displicet: neque veniale iudicatur, dum placet. Aliquando viri sancti ea faciũt opera, quæ alijs essent mortifera: sed eis nocere nõ possunt. Quia efficacissimę charitatis theriaca omne in eis venenum extinguit. Hi qui vendunt, corpori suo serpentes adhibent, sed non tamen illorum toxicum: quia in manu tenent antidotum. Non ergo sine causa dicitur:

Simile elegans.

Augustinus.

Habe Charitatem. & fac quicquid vis.

Nã quod peccatum vni, meritum est alteri.

Quod in vno eodemque opere merita sint disparia, immo contraria, Exemplum habemus in filijs Israel, vbi a Domino iussi sunt spoliare AEgyptios. Qui vero hoc fecerunt virtute obedientię, meruerunt; qui autem causa auaritię, teste Augustino, mortaliter peccauerunt.

Exemplũ. 1. Exod. 3.

2. Exemplum spolia danis egenis

Mirandũ non imitãdum.

Est quidam Abbas nigri Ordinis in episcopatu Leodicensi: qui sæpe spoliat AEgyptios, vt dicet Hebræos. Ex multa misericordia iustus ille frequenter accommodat à diuitibus pecuniam, indigentibus illam distribuens: & cum creditores sua requirunt, nihil illis soluit. Quis sine spirrtu Dei talia præsumeret?

5. Conuersio aliorũ.

5. *Super agros manus imponent; & bene habebunt.* Hæc est extrema promissio. AEgri sunt, qui charitatem non habent; & in operibus iustitiæ languent. Cæcus est, qui lumine caret veræ fidei: surdus, qui inuitus audit verbum Dei. Mutus est, qui inuitus confitetur, & orat; cui vox deest diuinæ laudis & sanctæ exhortationis. Chiragricus est, qui non dat eleemosynam: podagricus, qui inuitus vadit ad ecclesiam: Hydropicus est, qui distenditur per vitium auaritiæ: leprosus, qui operibus fœdatur luxuriæ. Tertianarius est, qui in fide dubitat Trinitatis: quartanarius, qui præceptis non obedit Euangelicis. Talibus manus imponẽdæ sunt.

Per manus intelliguntur opera bona: